

Q. F. F. Q. I. D. T. O. M.

8

ΑΥΤΟΓΝΩΣΙΑ,

*Sive,*

DISSERTATIO PHILOSOPHICA,  
DE

VERA NOTI-  
TIA SUI,

*Quam,*

Indultu Amplisf. Facultatis Philosophicæ;  
*In inclyto ad Auram Athenæo,*  
Sub MODERAMINE,  
*Amplissimi Viri ac Domini,*

DN. M. JOH. BERNH.  
MUNSTÆR/

Phil. Pract. & Hist. Prof. Reg. & Ord.

*Èa, qua par est, modestiâ,*

*Candidæ Candidorum Censuræ, per Gratiam  
Divinam, sistere decrevit,*

GUSTAVUS M. BRODZENIUS,  
Helsingf. Nyl.

*Ad diem 2 Dec. A. Χριστογενίας 1699.*

*In Auditorio Maximo.*

---

ΑΒΟΛΗ, Impr. apud J. L. Wallium.

In  
SACRAM REGIAM MAJESTATEM  
VIRO FIDO,  
IN CHRISTO

Reverendissimo PATRI  
ac DOMINO,

DN. PETRO LAUR-  
BECCHIO,

S. S. Theologiæ DOCTORI  
Consummatissimo;

Inclutæ Diœcesios Wiburg. PRÆSULI  
Famigeratissimo;

Consistorii quod ib. est Eccl. PRÆSIDI  
Gravissimo;

Regii itidem Gymnasii Wib. juxtaq;  
Schol. per totam Diœces. EPHORO  
Amplissimo;

Ut MÆCENATI Summo, ita humi-  
limo mentis oblequio, ætatem  
devenerando:

*FELICITATEM & multos ANNO S!*

Nec non

*Summa Reverentia, insigni Claritate, multaq;  
Veneratione & Doctrina Conspicuis atque  
Spectabilissimis VIRIS ac DOMINIS,*

**DN. M. PETRO CARSTENIO,**  
Ecclesiarum Wiburg: Pastori & Archi-  
Præposito Celeberrimo, Consist. ibid.  
Ecclesiastici Seniori Amplissimo, Gy-  
mnasiique itidem juxta Lectori pri-  
mario incluto, Patrono quovis pio ve-  
nerationis cultu jugiter suspiciendo.

Reliquisq; Dominis M. M. dicti Gymn.  
LECTORIBUS singulis Clarissimis, Lau-  
datissimis, ut & nominati Vener. Judicii  
Assessoribus æquis. Promotoribus &  
Evergetis omni pietatis zelo colendis.

**DN. CHRISTI ERNO WJN WLD/**  
ut hactenus Templi Cath. Wib: Sacel-  
lano fidelissimo, ita nunc Pastori in  
Sijfaniemi meritis. Avunculo quovis  
observantiæ cultu assidue afficiendo.

PROSPERA QUÆVIS !

**R**ationes, quarum intuitu, exilis licet mi-  
nusve nota, debite tamen suæ pietatis &  
venerationis memor, Musi hæcce mea, Ve-  
strum, REVER. DN. PRÆSUL, Vosq; reliqui Dno,  
Mæcenates, Promotores & Fautores Optimi, suba

*Subire sustinuerit conspectum, equidem ratas con-  
quirerem, ad dispellendam audaciae notam,  
quam eo ipso, tanto graviolem incurrere vide-  
tur, quanto majori rubore suffunditur, ex Nomi-  
num Vestrorum Celeberrimorum, Ampl. Clariss.  
recordatione, nisi easdem, pro me, proliza illa  
Vestra in Literas & earum sectatores, quorum  
in numero ego minimus, allegaret benignitas,  
juxtaq; summum illud, adversus Vestra Nomina,  
pietatis mea sacramentum: ex quibus proinde,  
inter anxiam diu dubitationem, animus meus  
diviniori jubare irradiari desiderans, in  
spem benigna admissiois, candidaeque exceptio-  
nis, usque adeo erectus est, ut ad benignita-  
tis Vestrae aram, in aeterna devotionis signum,  
culeus & honoris tesseram, spemq; ulterioris fa-  
voris & Patrocinii, cum calidis ad DEUM O. M.  
votis, pro Vestra incolumitate, & salute perpetua,  
has qualescunque ingenii mei primitias depo-  
nere haud quidquam dubitarem, cernuus inte-  
rim orans, pignus hocce submissae & officiosissime  
venerationis, non ex sua dignitate, sed offerentis  
pietate respicere, haud grave Vobis ducatis, cu-  
jus benignitatis ergo, in Nominum Vestrorum  
debitum cultum & venerationem quodvis studium  
nunquam non impendere adnitetur*

REVERENDISSIMI DN. PRÆSULIS  
Vestrarumq; Adm. & Plur. Reverendarum,  
nec non Clariss. Dignitatum  
*cultor devotiss. assiduusq;*  
Gust. Brodzenius.



CANDIDE ET BENEVOLE LECTOR!

**T**antum abest, C. L. ut inculto  
hoc, ingenii mei, baudquid-  
quam, maturiori literaturâ  
subacti, foetu, apud eos,  
qui sublimiora studia, fido suo enutriunt  
sinu, aliquem applausum sperare queam,  
quoniam quoque, quod mihi ipsi ingratus adeo  
videatur, aut eum, nunquam, Tibi C. L.  
stitissem, nisi eorum auctoritas, quos  
Mecenates colo, illud, apud me valuis-  
set; siquidem, justâ institutâ mensurâ te-  
nuitatis mee, ob argumenti presentis,  
vel dignitatem, vel amplitudinem, vel di-  
fficultatem, non potuerim non, in consilio,  
nutabundus herere; illa enim, ratione ob-  
jecti, tanta est, ut vel sagacissimos, ex  
admiratione summa, in istud impulerit  
effatum: nihil stupendum, nihil ma-  
gnum nature parens produxit, quam  
hominem; Et sane, quid aliud inculcat,  
magnificus ille, inter tot tantaque sapi-

entia divina, splendidissima documenta,  
 cuilibet nostrum, a sapientissimis mor-  
 talium, impositus titulus Microcosmi?  
 istam, quodvis videt, non intra Physicæ so-  
 lius subsistere limites, sed & per spatio-  
 sissimos, Philosophiæ Moralis, semet dif-  
 fundere campos; & hæc porro, prioribus  
 vere æqualis, cum semper natura parem  
 cum virtute conjunxerit difficultatem;  
 quamobrem, spem unicam, in Tua, C. L.  
 collocatam habui benignitate, nec non  
 necessitate tractandæ materiæ (quæ huma-  
 na nostra vitæ deesse nunquam potest)  
 ut has qualescunq; ingenii mei, non tan-  
 tum in varia interim distracti, sed &  
 suo duce, cujus vestigiis directe inharere  
 posset, destituti, primitias, æquanimita-  
 tis Tuæ, C. L. offerrem censuræ; & sub  
 ista quidē methodi atq; processus forma, ut,  
 ab introitu Discursus, nec non auctoritate  
 sententiæ: γυνῆσι σεάουλον, capite primo  
 propositis; in cap. 2. ad ὀνοματολογία  
 & πρᾶξις λογία descendere; quam  
 per totum deinceps continuavi discursum;  
 scilicet, in cap. 3. exponendo, imprimis di-

ditionem objecti & originem nostri; cui  
 subjungebam cap. 4. tradens, brevissime,  
 animæ nostræ indolem, cum suis faculta-  
 tibus præcipuis, earumq; dotibus, nec non  
 cap. 5. corporis pariter nostri qualemcunq;  
 exhibens  $\sigma\chi\alpha\gamma\epsilon\gamma\alpha\Phi\acute{\iota}\alpha\nu$ , ut & cap. 6. affe-  
 ctuum & sensuum proponens delineationem:  
 hisce jam recensitis, addidi in cap. 7. offi-  
 cia adversus nosmet ipsos præstanda, tam  
 in præcisione, ad certum statum, quam  
 determinatione, ad statum Politicum; do-  
 nec tandem in cap. 8. obligationes, qui-  
 bus adstringimur, & adversus DEUM,  
 & proximum, idque, non tantum qua  
 eas, quas ex similitudine nature, pro-  
 ximo debemus, sed & illas, quæ ex in-  
 stituto humano, aut certo statu nobis  
 impositæ sunt, rudi penicillo simplicis-  
 sime exposuerim. In quibus omnibus de-  
 lineandis, si contigerit, Tuo, C. L. oc-  
 currere judicio, aliquid, minus probabi-  
 le, tui sit candoris, illud in meliorem  
 interpretari partem, cum, ut homines  
 sumus, ita quoque humani alienum ni-  
 hil a nobis reputare debeamus.

DEO DUCE!  
CAPUT. I.

§. I.



Quamvis vita hæc humana, in quam, propria mortalium culpa ipsos conjecit, per transgressionem mandati Divini, primo intuitu, ut mera appareat miseria, cum nemini non pateat, qualem vitam nobis natura promississe videatur, quæ primum nascentium omen, fletum esse voluit (a): Tamen, dum adjutam quoque judici expendimus lancem, benignitatem Creatoris ineffabilem, quâ, haud solum Legem, tot occurrentis malis, parem, generi indidit humano, non in spuriam quadam utilitate (β), nec nudo consensu

A

ali-

(a) Seneca in cons. ad polyb. c. 23. (β) Sic Carnead. apud Horat: Serm: 1. 1. Sat: 3. Hug. Grot: in Proleg: ad Lib. de J. B. & P. vid. quoque quæ contra hanc sententiam disputat. August: de Doct: Christ: lib: 3. c. 14. Henr: Hennîng: observat. ad proleg. Grot: de. J. B. & P. p. m. 24. Lactant: l. 5. Inst. cap. 16. Job. Henr. Bæcl. in prol. Grot. p. m. 44.



aliquo gentium ( $\gamma$ ), sed intimâ consciencia naturæ suæ, putâ, à priori, positam, Verum etiam, tantis atque tot hominem instruxit dotibus, ut ex genuino earum usu, vivam felicitatis suæ scaturiginem habere posset, non possumus non, in Architecti illius Sapientissimi, Benignissimi-que laudes, veneratione temperatas, effundi. Illam, ergo, benignitatis Divinæ, in natura cujuslibet nostrum, declaratæ, magnitudinem, cum ex occasione præcepti, τῆ γυνῆς σεαυτὸν, Templo Apollinis Delphico (quod ab Agamede & Trophonio exstructum putatur ( $\delta$ ) aureis olim literis insculpti, mihi proposuerim contemplandam, è re censeo esse, paucis quoque, dicti illius auctoritatem, multum inter doctos vexatam, sequentibus proponere paragraphis.

§. II.

Sed, si unquam solida ingenia, investigatio detorsit eorum, quæ vetustas adeo, aut fabularum involucris, aut aliis antiquitatis tenebris, immerfit, ut nihil

( $\gamma$ ) Hug. Grot. cit. loco addatur & Henn: obs. ad. eundem locum ( $\delta$ ) Cic. l. 1. Tuscul. Quest. c. 47.

hil, fere, præter nomina superflint, id i-  
 psium, sane, circa hujus præcepti, γνῶθι  
 σεαυτὸν, auctoritatis expositionem, con-  
 tigisse, haud immerito pronunciare pos-  
 sum; siquidem, vetastæ quoque simpli-  
 citati, licet aureum hoc dictum, ad ad-  
 mirationem usque, celebre fuerit, indica-  
 te, tamen, velle, quo tempore & quo Aucto-  
 re, illud, in lucem prodierit, difficultatem,  
 adgravante arcanâ quâdam obscuritatis ra-  
 tione, non aliud esset, quam nodum sol-  
 vere Gordium, teste Prophyrio, apud Stobæ  
 (ε). Hinc, itaque, alii, ab Homero, o-  
 mnium Græcorum Scriptorum, qui hodiè  
 extant, Clarissimo, & antiquitate, & inge-  
 nio (ζ), hanc quoque Sententiam, tanquam  
 ab ipsius eruditionis Oceano, mutuo sum-  
 ptam, arbitrantur, apud quem, *Hæctor*, o-  
 mnibus reliquis insultans, *Ajacem*, se  
 præstantiorem declinando, *juxta versum.*

ἄισανθ' ὁ δ' ἀλέεινε μάχην Τελαμονιάδαν,  
 Fertur, se ipsum nosce (η). Ovidius, au-  
 tem, eandem ad *Pythagoram* refert, ci-  
 tante Eram: Rot: (θ). Aliorum, proporro,  
 opinio est, hanc, habuisse aliquem ex

See

(ε) Serm. 22. (ζ) Vellejus paterc: l. 1. c. 50.  
 (η) apud. Plutarch: Charsias inson viv.  
 7. Sapient: (θ) Cent. Adag. p. 506.

*Septem Sapientibus Auctorem, ob convenientiam, cum eorum more Philosophandi, Sententiis argutis paucissimisq; verbis, tot tantasq; res comprehendentium, quarum explanationi, insignia volumina vix nemum suffecere (i). Cæterum, quis ex istis nominatis 7. Sapientibus, verus & indubiratus fuerit, dictæ sententiæ, inventor, adhuc sub Judice lis est: Inter Biantis, etenim, sapienter dicta, ex Demetrio, recensetur, primum istud: se ipso inspecto ad agendum accingi oportet: sed Diog: Laert. (u) hoc ἀπόφθεγμα Tbaleti tribuit, Quem, amabilis Studiosum brevitatis, interrogantei quidam: τί ἐστὶ δύσκολον, narree respondisse: τὸ ἐαυτὸν γινῶναι. Inter eos, qui Chiloni adscribunt id dictum, est Suidas & Plinius, qui inter, tria anathemata Chilonis, Templo Delphico consecrata, bujus primo meminit (λ); pari modo Auson: dum Chilonem inducit, sic orditur: Spartanus ego sum Chilon, quem nunc prodeo, brevitate nota, quæ Lacones utrimur, commendans nostrum: γινῶν σεαυτὸν, noscete ipsum: Macrobi: autem (v) ab Apollis  
 (i) Plutarcb. in l. de ditte. (u) in vet. 7. Sap.  
 (λ) lib. 7. (μ) in lud. 7. Sap. (v) Comment:  
 ment: ad Scip. semit: c. 9.*

polline, istud præceptum arbitratur profectum, quando meminit, quærenti cuidam, quo itinere ad felicitatem perveniret? ab oraculo responsum esse: si te ipsum cognoveris; quem Crasum fuisse auctor est Xenophon in Pædia Cyri, cit: Eras: (ξ) sic etiam legatis Romanorum, consulentibus medium, pacificè administrandi imperii, testatur, idem responsi datum esse, Auctor tractatus om Hofstewerney Sörreer (ο) lingua Hispanica primum editi, in Svecaniam, ab Erico Schrodero vero postea translati.

## §. III.

Sed dum quaecumque meum, his quoque subjungo, iudicium, non quidem usque adeo, hoc dictum: γυνῶσι σεαυτῶν, sicut nunc in Imperativo positum est, ipsi Homero audeo referre acceptum, siquidem, reliquis convivis, apud Plutarchum tacentibus, ille forte, magis Charsix opinionem recitare, quam stabilire videtur; quæ opinio, procul dubio, nata est, ex consuetudine priscorum, insignem in ijs ponentium voluptatem, quæ sub virorum Prudentum testimoniis, aut Fabularum involucris, ipsis proponebantur,

(ξ) Cent: Adag. p. 50. (ο) p. 206.

tur, quibus, non aliter, quam occultis stimulus, ad honestatem allecti sunt (π) quantumvis non adeò diffitear, sententiæ hujus auctorem, quisquis tandem fuerit, occasione ab Homero accepta, id protulisse, cum certum, sit ex scriptis ejus, ansam, multis dogmatibus reliquorum sapientum, datam esse, juxta versum :

*Aspice Maonidem, à quo, ceu fonte perrenni,*

*Vatum Pieriis ora rigantur aquis.*

Quod vero opinionem attinet istam, quæ facit Pythagoram apophthematis hujus auctorem, tum facile constat, eam, sine dubio, natam esse, ex usu, quem obtinuit, in schola Pythagoræorum; nam, quemadmodum, scopum Philosophiæ suæ voluerunt esse: ὁμοίωσιν Θεῶν, sic, nec aliud medium, ad istam perfectionem crediderunt, quam sui cognitionem, cum neminem feliciter, vel in humanis, vel divinis rebus, versaturū sperarent, multo minus perventuram ad similitudinem divinam, nisi, qui didicerit, novisse, ante omnia, seipsum; quare, & illud vocarunt, πρῶτον μάθημα;

C

hoc

( π ) Max: Tyr: Serm: 29:

hoc est quod, ante omnia *μαθηματῶν*,  
ante omnes alias regulas, præcepta-  
que, esset tenendum; in hisce duobus  
potissimum consistens: 1. observatione  
bonorum, quorum cultura & amplifica-  
tio, ad optimum & summum illud per-  
fectionis fastigium enitenti, summe foret  
cordi; 2. agnitione malorum, quibus quis-  
que laboraret, ad quæ valida semper co-  
gitanda forent remedia, præprimis & u-  
nice ex ipsa Philosophia ( ρ ); quam se-  
cuti consuetudinem alii fuere, utpote Pla-  
to, cujus Dialogus integer Alcibiades di-  
ctus, eum non Republicæ solum, sed & cu-  
juscunque magnæ rei administrandæ im-  
parem docet, qui seipsum non noverat;  
sic & Stoïci, Academici, atque Cynici,  
quorum quemlibet si interrogaveris, quan-  
do cœperit Philosophari? respondebit:  
ὅτι καταγνώσκων ἑμαυτῶν ἐρξάμεν ( σ );  
verùm quantumvis concesserim, primum  
præcepti huius in Philosophiam, intro-  
ductorem, Pythagoram fuisse, non tam-  
en rotunde asserere possum, eum ejus-  
dem fuisse inventorem; siquidem nec de-

( ρ ) B. m. D. Scheff: *Phil: Ital: cap. 9.*  
*p. m. 70.* ( σ ) *Stob: Ser: 21.*

sunt auctoritates affirmantes, Pythagoram, hunc modum philosophandi, ab Indicis habuisse sapientibus; Remanet, ergo, sententia, fortè, maximè probabilis, quæ hoc præceptum, ad aliquem, ex septem sapientibus, refert: ubi mearum virium non est, liquidò pronunciare, quis ex illis, Dicti nominati, indubitatus existat auctor; cum scriptores, quorum fide, in ejusmodi rebus, mea nititur probatio, ex antea dictis, in tot, tantaque sententiarum dyortia, abire notius est, quam quod notissimum; Neque tantum industriæ meæ tribuo, ut diversissimas Doctorum virorum opiniones, hic conciliare, mihi præsumam; illud, interim tamen, stat ratum & statum, quod *Templo Delphico* fuerit inscriptum, omnibus, in eo, unanimi conspirantibus consensu. Cæterum, licet ad *Apollinem Pythium*, sapius referatur, id tamen non eo modo capiendum censeo, ac si ipse primus ejus extiterit quasi parens, siquidem & *Plato in Charmide* testatur, id, inter tria ista apothegmata, maxime celebrata sapientum, etiam foribus templi Delphici inscriptum, secundum morem, a multis retro secu-

lis, usu receptum, donis, templa Deum colere, tanquam digna Deo viderentur. Imo & Cic. (τ) manifeste comprobatur, illud, propterea Apollini, assignatum, quod majus videretur, quam ab homine profectum; idque, ob brevitatem, duobus verbis, tot tantaque comprehendentem, quæ, non modo ad vitam hanc honeste atque modeste transigendam, sed quoque ad humanæ naturæ cognitionem, & æstimationem, viam pandere visa fuere; cui addi potest, alia quoque ratio quam prius arcanam nominavi, scilicet, non obscure, id propterea factum censeo, ut auditores, quibus hoc præceptum est inculcatum, auctoritate, ejus tanto facilius moverentur, ad veram sui æstimationem, ex qua credita est, omnis felicitas oriri, quanto magis, non solum extra controversiæ aleam positum erat, disciplinam, venerabili auctoritatis timore, vacuum, utpote tum, quando notum esset, præceptum a mortali homine originem traxisse, perperam adhiberi, sed & certo certius constabat, genus humanum, nulla re firmitus contineri, quam religioso Numinis metu, unde hoc effatum, adeò, peritos

&amp;

(τ) lib. de leg.



& imperitos exosculatos fuisse, verum est, ut hoc solo responso, in rebus dubiis proloquo, quivis conticuerit, tanquam presentissimam, metuens, iræ Divinæ vindictam, si vel tantillum obmurmuraret.

## CAP. II.

### §. I.

**H**is prælibatis, ratio instituti requirit, ut rem ipsam propius aggrediar, idq; primum a nominis explicatione, nam, ὄνομα ἔστι ὄργανον διδασκαλικὸν καὶ διακριτικὸν τῆς ἐσίας (u); constat vero, vocabulum Ἀϋθγιωσίας, suas debere natales, pronomini: αὐτός, ἑ, τοῦ, quod Latinis est, ipse, a, um, & verbo: γινώσκω, seu γινώσκω; quod Latinis cognosco, scire, existimo, judico, statuo; illud aliis creditur esse ἀ γνοῶ, unde in imper: γινώθι; aliis ἀ νοῶ, quomodo Eustathius, ex Heraclide, teste Scapula, tradit, ἀ νοῶ, fieri νοίσκω, & per Synæresin νόσκω, additoque Æolice γ, γινώσκω, quia, & pro νοῶ, Æoles dicunt γνοῶ, unde cum privat: α, ἀ γνοῶ, ex γινώσκω α: per reduplicationem fieri γγινώσκω, unde γγνώσις, -εως, & γγνωσία, ας, ἡ, cognitio, notitia, Arist.

(u) Plato in Cratylo.

Arist. & aliis, item *Scientia, doctrina & sapientia*, apud Græcos Bibliorum interpretes, itidemque 1. Cor. 8. v. 1. & seq. *notitia* autem derivatur, à *nosco*, quod vicissim à *γινώσκω*. Synonyma vero habet, utpote, *notitiam, examen, exploratio- nem &c. sui.*

## §. II.

**A**mbiguitatis verò, per varios, quos *ἀπορροια* fundit sensus, expositio fieri potest, vel *ratione diversi subjecti*, quomodo *ἀπορροια* est: vel *Divina*, quæ fit per modum ineffabiliter simplicis visionis, in identitate omnimoda, absq; modo mensurandi semet (Φ); nam cognitio DEI, respectu sui ipsius, & rerum creatarum, quas quoque per modum mensuræ cognoscit, multum inter sese differt, in illa enim locum habet, norma & normatum, mensura & mensuratum, in hac vero exulzre debent, cum importent, realem distinctionem, quæ, inter essentiam divinam, & attributa, non admitti potest. Vel *Angelica*, qua se ipsos noverunt Angeli, ut, v. g. incorpo eos, dependentes. Vel *Humana*, quam hic venamus; vel *Brutorum*, rationis ex-  
pere

(Φ) Confer. B. m. D. Calov. Meth. divin. 342.

pestium, quæ suas quoque novèrunt  
 Naturæ vires, sic v. g. Lepores suæ imbecillitatis conscios, latebras quærirare, & in fugam ferri proclives, Tauros autem, & cætera robusta animantia, nativi roboris fiducia, aut hostem intrepide expectare, aut etiam aggredi fortiter, videmus. Sed hæc notitia, magis disciplina quadam natura spontanea, aut, ut ita loquar, tabulis ab ipsa nativitate insculptis, quam usu & experientia constare creditur, monente Thomasio (X) Humana, autem, spectari poterit, (α) ratione diversi principii in homine cognoscendi, quia, præterquam quod, multa nostri notitia, nobis sit congenita, ut principia prima v. g. notitia nostri, quædam nobis ipsis non extiterimus, sed ab Numine aliquo, quod propterea veneratione ac cultu prosequendum. Ulterius in homine censent Docti, duplicem inesse cognoscendi vim, quarum unam sensibus, alteram rationi seu intellectui, adscribunt; unde, duo quoque αὐτογνώσιμα genera, numerari posse arbitror; quarum alteram, cum animantibus brutis communem habemus, alteram, tanquam propriam, nobis, efferre nos possu-  
 mus

(X) in lib. Prefat. S de notitia suis

mus supra pecudem. (β) *Ratione modi cognoscendi*, nam sicut, ea, quæ in nobis reperiuntur, aut *confuse & imperfecte* tantum percipimus, aut *clare & distincte* cognoscimus, sic *ἀνθυγνωσία*, dividi potest in *confusam, & distinctam*, aut *imperfectam, & perfectam*. (γ) *Ratione eorum, quæ nobis competunt*, quorum alia sunt *interna*; alia *externa*; illa *naturalia*, quæ corpori animæque naturâ, infixæ sunt, ut *extensio, intellectus*; hæc *acquisita*, quæ extrinsecus adveniunt; atque, cum aliena magis videantur, quàm illa, à *Fortuna* etiam nomen sortita inveniuntur, ut: *honor, gloria, nobilitas*.

### §. III.

**E**st, verò, *ἀνθυγνωσίας* acceptio, præterea, vel *nimis lata*, prout totius mundi noticiam denotat, juxta illud Auctoris innominati, apud Phot: (ψ) τὸ γινῶναι ἐ-  
 αὐτὸν ἐδὲν ἄλλο ἔστιν, ἢ τὴν τῶν σὺμπαντων  
 κόσμου φύσιν γινῶναι. Vel *stricta*, quomodo significat modestiam, quæ in honoribus expetendis, media incedit viâ, inter ambitionem, animiq; abjectionē, vel *adæquata*  
 quæ

(ψ) *de vita Pythag.*

quæ hujus est loci: non tamen, *Theologi-*  
*ce*, ex verbo *DEI* revelato, spectata, prout  
*αυτογνωσία* & notitia nostri est tanquam  
*demortuorum*, (ω) & in *captivitate peccati*  
*detentorum*, (α) Iræq; propterea æternæ  
 damnationis subjeutorum, nisi *DEUS* Pa-  
 ter ex *Infinità* suâ in genus humanum  
*misericiãdã*, in *Justitiã* suâ satisfactio-  
 nem, ex *Universali* æternitatis suæ decreto,  
 substituisset *meritum Christi* pariter *uni-*  
*versale*, quod nobis *fide* adplicandum so-  
 lum est, ejus gratiã quoque gratiosissi-  
 mē misit *Spiritum S. fidem* & in nobis *in-*  
*choantem*, cum ex nobis ipsis nihil quidquã  
 in *Divinis* valeamus (β), atq; simul *perfi-*  
*cientem*, perque *Sacramenta obfignantem*,  
 nisi malitiose ei resistamus; sed *Philosophice*,  
 ex speculo, scilicet, *Naturæ*, sive verbo *po-*  
*tentia* *Divine*, quomodo, *Αυτογνωσία* est  
 prudens exploratio, suarum virium, à  
 Creatore liberrime concessarum, indeque  
 oratarum obligationum & officiorum, ad  
 cujusvis agentis *Rationalis*, & conse-  
 quenter totius vite humane decorem, or-  
 dinem, & utilitatem. Seu, Quod idem,

C

est

(ω) *Rom. 6. v. 2. 11.* (α) *Joh. 8: v. 34 Rom. 6.*  
*v. 16 17. 20: 2. Pet. 2. v. 19.* (β) *1. Cor. 2. v. 14.*  
*2. Cor. 3. 5.*

est vera quaedam noticia sui, quâ homo  
 quivis frugi, ex consideratione, cum suae  
 essentiae conditionisque, tum affectionum  
 & officiorum, inde resultantium accu-  
 rate decernit, quid sit, quid DEO, sibi &  
 societati, praestare, quidve agere, aut o-  
 mittere, debet, ad obtinendam in hac vi-  
 ta felicitatem. Cui quoque Cicero adsti-  
 pulatur, inquam: (γ) Illud, γνῶσις θεοῦ  
 τὸν, noli putare, ad arrogantiam minu-  
 endam, solum esse dictum, verum etiam,  
 ut bona nostra norimus. Et alio loco:  
 (δ) Intrandum est igitur in natu-  
 ram, & penitus, quid ea postulet, pervi-  
 dendum: aliter enim, nosmet ipsos nosse  
 non possumus. & paucis interjectis: Co-  
 gnitio autem haec est una, ut vim nostri  
 corporis animique norimus, sequamurque  
 eam viam, quae rebus ipsis perficiatur.

### CAPUT. III.

#### §. I.

Cumque ex dictis innotescat, *objectum*  
*καταγνωστικῆς* esse duplex (pro ut sci-  
 licet, noticia nostri, aut nostram con-  
 stitu-

(γ) lib. 3. ad Q. Frat. ep. 6.

(δ) lib. 5. de finibus.

stitutionem, & officia adversus nosmet ipsos considerat *absolute*, vel *respective* dicitur, quid in ordine ad alios sumus, quidque illis debeamus) *reale* nempe, unum, & *personale* alterum, (enim vero, præterquam quod cuilibet vero sui æstimatori patet, se non sibi solum natum, verum etiam Creatori, & aliis hominibus multis nominibus esse obstrictum, etiam ipsa indigentia nostra, tam diversi objecti necessitatem, in nostri examine requirit; etenim, si unicuique, licitum esset suas actiones, ex propria notitia susceptas, dirigere unice in suam utilitatem, exclusis, DEO nostro Creatore, & Civitate, quâ, omnes homines, universalis cujusdam amoris vinculo inter se constringuntur, utique, non tantum, præsentissimum aliquod bellum foret omnium in omnes, quod tantum à natura abhorret humanâ, ut, ne brutis quidem, adeo absolute, tribui possit, sed & magis quam sacrilega audacia, modo quis in Creatoris blasphemiam, modo contemptum rueret, nunc vicissim, vitæ pertæsus, sibi ipsi violentas inferret manus, & nescio, quas, demum non incurreret, calamitum vices;) proinde in illius, puta *objecti*

*realis considerationem descēsurus, non possum non, primo in nostram constitutionem inquirere.* §. II.

**E**T quemadmodum, nemini cordatio-  
rum, vel ex elementis fidei Christia-  
næ, ignotum plane esse potest, se, tam  
animæ, quam corporis, ex quibus tota  
nostra compages facta est, originem  
DEO debere, quantumvis hodie eas par-  
tes, mediante propagatione, vi primæ  
benedictionis (†), per traducem à pa-  
rantibus habeat, ut, in primordio rerum,  
corpus ex gleba rubra formatum est, cui a-  
nima immediata inspiratione indita fuit,  
(‡), (unde ab Hebræis nomen שָׁנַף, אִנְפַּף,  
*flavit, spiravit*, sortita est); ita cuius  
certum, se, ex parvis initiis, in utero  
materno formatum, scilicet; postquam  
ex semine utriusque sexus, cui spiritus  
inerat Directivus, ab ipso momento con-  
ceptionis valde subtiles quasdam *fibras*  
primò, intra septimanam, forma produ-  
xit, quæ, *venam* bifurcatam, subinde  
umbilico fetus junctam, ad uterum pro-  
tendunt maternum, cujus *unus ramus*,  
*sedes est collecti sanguinis*, unde den-  
sari *hepatem*, credunt docti, *alter locus*  
*texture venarum* aliarum, quam obrem  
(†) Gen. 1. 28. c. 9. 1. (‡) Gen. 2: 7. o-



omnes venas superioris partis, in *vena cava* tanquam trunco, terminari exploratum est; hæc porro venæ, quia earum mos est, sanguinem calidissimum attractum densare, carnes *cordis* substantiæ sunt satores, e cujus cavitatibus vicissim venæ erumpentes, conglobato sanguine, *pulmones* putantur generare; sed *pecto- ris*, & successively *brachiorum*, cum *cruribus*, causæ creduntur, *vena cordis magna* atque *hepatis cava*, & *aorta*, sed, crassa seminis portio *ossium* structuræ se- cernitur, sicut vicissim pars subtilissima, ad quandam ablegatur cavitatem formandam, in quâ materia contineatur *cerebri*, unde *nervorum* præcipuorum illorum sensatio- nis organorum, & motus origo; Ast, postquam, per *venam umbilicalem*, ex pu- rissimo materno sanguine, cepimus, trahere alimenta, tum partes nostræ paulatim perfectæ & consolidatæ sunt, juxta versum: *Sex in lacte dies, ter sunt in sanguine terni, Bis seni carnem, ter seni membra figurant,*

Unde quarto demum mense, ostentatis vitæ præludiis, decimo tandem, vel etiam ante, & nonnunquam post, mundum dici- mur intrare. (η)

CAP.

(η) *Consule sis olim Celeb. nunc B.m. D. A- schrelii Concem. Mundi tract. Anthropol.*

## CAP. IV.

## §. I.

**E**xplicationi nostræ originis, succedie jam partium nostrarum, ex quibus constituti sumus, contemplatio, in quâ, non possum non, primo in *Anime* quasi sinum excipi, de quâ, licet non pauci deprehendantur, parum decenter sentientes, qui, aut eandem vocarunt, cum *Empedocle*, *suffusum sanguinem*, aut cum *Aristoxeno*, *intentionem*, sive *qualitatem corporis*, aut *Varrone* & aliis, *subtile corpus, instar aëris aut ignis*, vel etiam, qui cum *Stoicorum* secta, *captivam quasi in corpore*, vel cum aliis *formam tantum assistentem*, esse voluerunt, nos solo corpore homines esse, *animam verò nomen inane contententes* ( § ): tamen solidioris ingenii viros, *animam spiritum finitum & incompletum verius vocasse*, in confesso est; enimvero, veras edit *spirituales operationes*, quales: *intelligere, velle, libere agere; affectionumque spiritalium omnium, tam positivarum, quales: simplicitas, intellectualitas, libertas arbitrii, quam negativarum*

VA.

( § ) Cic. l. 1. Tusc. Q.

varum, quales: immutabilitas, indivisibi-  
 litas, illocalitas & immortalitas, est  
 subjectum; finitas identidem est, tam in  
 perfectione, & duratione, quam presen-  
 tia & operatione; incompleta pariter,  
 licet non ratione modi essendi, tamen  
 ratione modi subsistendi, ob naturalem  
 ad corpus propensionem, cum quo per-  
 sonam constituere amat, (non tamen ta-  
 lem, quales in S. S. T. occurrunt, per  
 essentia ejusdem indivisionem & identi-  
 tatem; nam, quemadmodum finiti ad in-  
 finitum, nulla est proportio, ita inter fi-  
 niti & infiniti subsistentiam, neque eadem  
 specialis ratio datur, licet in generali  
 natura personalitatis, quantum permit-  
 tit analogia attributionis, longe emi-  
 nentiori modo personam nature infi-  
 nitæ, quam finitæ tribuens, conveniant (1);  
 verum, cum istud formale consideratio-  
 nis, animam ad Pneumaticam ducat po-  
 tius, tanquam in statu preternaturali  
 constitutam, extra unionem cum corpo-  
 re, proinde mihi eandem, sub eo for-  
 mali spectaturo, ut est corpori unita,  
 occurrit frequentata satis descriptio ani-  
 mæ

(1) vide quæ, de hac re disputat. B. m. Excell.  
 D. Cal, in p. sp. Met. suæ Div. p. m, 95. & 127.

*me nostræ rationalis, quâ dicitur esse forma hominis, perquam est, intelligit & vult; etenim essentia subtilitate, cujus confectarium est immortalitas, Anima omnes pervadens materiæ partes, eandem non contactu & diffusionem, sed actu, quæ nihil aliud est, quam essentialis constitutio, ita informat, ut ex unione sua cum corpore fiat homo, unde clare patent officia ejus 3. constitutivum, nempe, distinctivum & divisivum, quibus additur 4. scilicet, operativum, quod enim dat esse, dat quoque operari.*

## §. II.

**S**ed, ceu constans est opinio, nullum ens creatum immediatum esse suarum actionum principium, sed per facultates operare, ita facultates, animæ nostræ solent tribui in genere tres, formaliter tantum inter se distinctæ, nempe vegetativa, quâ generamur, augemur, nutrimur, & vivimus; sensitiva, quâ objecta sensibilia cognoscimus, & locomovemur; & Rationalis, cujus beneficio operationes edimus humanas, per excellentiam sic dictas, quarum tamen duas priores, ita animæ tribui velim, ut agenti digniori, nam easdem non

non minus à corpore simul fieri infra patebit, *primam*, rationi non nisi indirecte parere asserunt docti, *secundam* vero pariter affirmant quodammodo parere, quare nonnullis *rationalis per participationem* audit; *tertia* vero, quia ipsam habet rationem, vocatur *rationalis per essentiam*, ministras habens, *potentias primarias: intellectum & voluntatem; secundarias vero: risum & sermonem*. Dixi, illas esse facultates, tantum concipiendi modo, sive formaliter distinctas inter se, nam assertionem, quæ docet existentiam in homine trium realiter distinctarum animarum, meritò rejiciendam censeo, utpote contrariam, cum Sanæ Philosophiæ, propter inde sequentem triplicem vitam & mortem, (x) tum orthodoxæ Theologiæ, quia, ob realem uniformitatem & exactam convenientiam humanæ Christi naturæ cum nostrâ, præcise tantum peccato, concessa ista hypothese, necessario sequeretur, aut reliquas animas, in triduo mortis, quo separata erat anima rationalis Christi a corpore, in eodem corpore mansisse, unde Christus vere non fuisset mortuus, sed vixisset vita vegetativa

D

&amp; sen-

(x) B. Sperling. *Anthropol.* p. m. 98.

& sensitiva, aut evanuisse easdem, propter impotentiam earū existendi ultra unionem, atq; sic humana Christi natura in cælum exaltata, aut diversa esset ab ea, quæ erat in terris, aut ad minimum imperfecta, quæ singula absurda. (λ)

### §. III.

Cæterum, ut *cogitationes*, sunt, maxima illa præstantiæ nostræ præ brutis indicia, sic in eandem fontem primum, jam jam inquirendum esse, ratio instituti suadet, quem faciunt Eruditi ipsum *intellectum*, eam sc: animæ potentiam, quæ absque *specie materiali*, objecta quælibet percipit, rationesque fere omnium entium, & eorum habitudinem intelligit, beneficio *Idearum*, à se formatarum, *quæ nihil aliud sunt, quam res cogitatae, in quantum habent esse objectivum in intellectu* (μ). Has autem ideas, pro comperito est, esse, vel (a) *Adventitias*, utpote, quæ vel immediata inspiratione Divinâ, vel Angelica, aut per sensus sunt ortæ; vel (b) *fictitias*, quas mens fingit, sive *sine fundamen-*

(λ) vide Excell. D. Mejeri *Pneumæ* p. m. 846. (μ) B. D. Achrelus in *tract. de Anshropol.* p: 354

*damento in rebus*, non quidem omnimode etiam qua partes, tale enim fundamentum omne fictum requirit, sed qua totum, quo carent, tanquam supponendo, aut cui per proportionem respondeant, ut, cum in *Chimera*, *Cerberodæ*, hinc inde, in naturâ partes assumptæ, contra Naturæ cursum disponuntur in mente, ejusque operâ uniantur; sive, cum *fundamento in rebus*, idque, tam *ratione modi intelligendi imperfecti*, qualis est idea relationis fictitiæ; quam *ratione rei*, cui tribuitur, *per non repugnantiam*, qualis idea negationis, aut privationis, non quæ negant & privant, sed in quantum concipiuntur per modum alicujus positivi (v); vel (c) *innatas*, quæ potentiam cogitandi à primâ statim infantia comitantes, menti habitualiter inhærent, Græcis dictæ: κοινὰ ἔννοιαί, item ἀξιώματα, προλήψεις; Latinis vero: *principia prima*, *immutabilia*, cum, à *bonitate*, *justitiâ* & *sapientia Divina* provenire, atque ejus *rectitudinis*, *sapientia* & *honestatis imaginem* referre credantur. Harum idearum

D 2

ex.

(v) Excell: D. Calōv. in *Metaph. Divini*  
p. general. p. m. 234.

*existentiam*, contra insulsos earum ad-  
 versarios, præter 1. *Sacrarum Pandecta-*  
*rum auctoritatem*, ut Rom. II. v. 14. 15.  
 v. I. 18. 19. atque 2. *rationem*, ab ima-  
 gine *Divinâ* in homine, quæ erat ha-  
 bitus, desumptam, cujus, hæ, sunt rude-  
 ra. ( ubi tamen discernenda est, acce-  
 ptio imaginis *stricta*, quæ vires mere spi-  
 rituales, in egritatem, scilicet, sanctitatis  
 & justitiæ complectitur, cujus jam in hoc  
 statu initium, est renovatio nim: per S. S.  
 ( Z ), complementum autem in vita futura  
 ( o ); à *larâ* ejus significatione, quæ qualem-  
 cunque veritatis notitiam & propensionem  
 ad honestatem notat; illo modo Orthodoxi  
 Theologi statuunt imaginem DEI penitus  
 destructam in nobis, hoc verò sensu, reli-  
 quias quasdam pristinae integritatis super-  
 esse credunt, utpote externam tantum dis-  
 ciplinam, ad hoc Hemisphærium inferius  
 alligatam, respicientes. ) vel 3. arguunt, infi-  
 nita prope *testimonia conscientia*, in *actu*  
*secundo* collocatæ, in hominû etiam, quan-  
 tumvis impiorum, & legis civilis obliga-  
 tio-  
 ( Z ) *Eph. 4. 24. Coll: 3. 12. Tit. 3. 5. Rom.*  
*1. 4. Gal: 5. 22. ( o ) Psal. 17. 15. 1. Cor.*  
*15. 49 1. Job. 3. 2.*



tione, pœnisque humanis exemptorum, mentibus, sæpius tantos cruciatus & angores excitantis, ut *αυτοφονίαν*, vitæ præferre, non dubitaverint; quos inter infelix *Nero Tyrannus & Matricida*; quod a. non infantes, sed adulti ejusmodi stimulis tangantur, causam reddunt Docti, in illis, defectum, in ratiocinatione, ob humiditatem Cerebri; quamvis enim habeant intellectum & rationem notitiasque innatas, in *actu primo*, *actu* tamen *secundo*, *b. e. rationis usu & adplicatione ad factum*, destituuntur.

§. IV.

Solent porro istæ *ideæ innatae*, alias *Principia prima*, dividi in *Speculativas*, quales sunt: *Quodlibet est, vel non est; Si equalia equalibus addas, totum sit equalle*, cujus etiam usus magnus in justitia; *Quæ conveniunt in eodem tertio, ea inter se conveniunt*, cujus item usus in doctrina Syllogistica insignis, &c. quarum præprimis basis (nam & Practicæ super ea ultimo fundantur) est hæc: *impossibile est, idem simul esse & non esse*, quia ultima est, in resolutione demonstrationum omnium, earumque norma;

ma; & Practicas, ut: *DEUS est colendus, parentes honorandi, suam cuique tribuendum, quod sibi non vis fieri, alteri ne feceris* &c. quas, alii, ad analogiam præceptorum Decalogi, binis inclusorum tabulis: *Dilectioni, nempe, DEI & proximi, ad legem istam universalem bipartitam: bonum est faciendum, malum fugiendum, revocant; alii vicissim, statuunt propositionem fundamentalem hanc, ex natura humana desumptam: cuiuslibet homini, quantum in se, colendam & conservandam esse pacificam adversus alios societatem; etenim, cum manifestum sit, hominem, sui conservandi esse studiosissimum, per se egenum, sine sui similium auxilio servari ineptum, ad mutua commoda promovenda maxime idoneum; eundem tamen perulantem & malitiosum, tanto sæpius, quanto pluribus non solum scetet cupiditatibus, affectuumque fluctibus est expositus, sed & cæteris animantibus, ad noxam inferendam promptius & validius; ejusmodi ergo animali, ut salvum sit, necessarium est, ut, sit sociabile, cum sui similibus, quo ansâ habeant, illud potius servandi, quàm lædendi; unde sunt nonnulli, qui*

reliqua præcepta referri credunt ad hanc, tanquam *subsumptiones*, quia *posito fine, ponuntur media, per quæ finis obtineri debet* ( $\pi$ ); Ex ejusmodi ergo *ideis practicis, prout in præcepta sese diffundunt, fieri Jus Naturæ* certum est, quod D. Osiander ( $\rho$ ) definit, *per regulam firmiter mentis humana infixam, quæ, & indicat, quid justè ex se & injustum, & ad prius sectandum posterius vitandū obligat*; unde quoque patet, quid sentiendum sit, de sententia, statuente Jus Naturale esse *ex, vel ipsū dictamen rationis*; enimvero, præterquã quod, eo modo, non pauci mortalium forent à Juris Naturalis, & principiorum practicoꝝ obligatione exempti, utpote rationis quocun- que modo imbecillioris, quos, si non omnes, plurimos tamen, in Legem Naturæ peccare, putant docti, etiam probatum est, eadem principia, quæ constituunt Jus Naturæ, se habere potius *antecedenter* ad ipsam rationis dictamen; dum ostensum erat, eadem naturæ infixæ esse ante omnem rationis usum.

§. V.

( $\pi$ ) *Illust. Baro. Puf: in J. N. § 6. l. 2: cap. 3. p. m. 183. ( $\rho$ ) in observat: ad Hug: Gratiam, p. m. 203.*

Sed ut ad intellectum nostrum revertar, ista quoque in eo, quem admodum primo *tria*, ejusdem *officia*, occurrunt observanda, apprehensio, scilicet, simplicium, apprehensorum compositio & divisio, indeque subsequens judicium, ita deinde ejus *quasi divisio* (nam intellectus noster est *potentia simplex, cujus realis non datur divisio.*) in *speculativum & practicum*, venit annotanda, quorum *ille*, res intuens necessarias, contemplationi invigilat; *hic*, contingentium ruminator, actioni intentus est; ex utriusque bono de rebus judicio, *recta* oritur *ratio, Theoretica vel Practica*; *haec*, prout *actualiter, effective & formaliter* sumitur, non *eminenter*, ut Rom. 12. 1. Est *Rudrauffio* ( $\sigma$ ), *ipsum rectum naturale judicium, circa honestatem & res civiles, ex principiis natura notis exstructum*; differtque cum ( $\alpha$ ) à *Lumine Naturae*, quod nunc significat potentiam intellectivam, praeciso actu, nunc quoque ejusdem potentiae effectum, hoc est, naturale mentis judicium, revelationi contradistinctum, simul implicat; ( $\beta$ ) à *Lege Naturae*, nunc *strictè*, in principiis primis, nunc *late*, in conclusionibus quoque inde derivatis fundato

( $\sigma$ ) *Instit: Moral. p. m. 35.* dato

datâ; & ( $\gamma$ ) *synteresi*, quæ habitum connatarum idearum practicarum, ceu *intelligentia*, simul *speculativarum*, ex jugi exercitio ortum significat ( $\tau$ ).

§. VI.

**I**n *intellectus*, porro, hujus *activi*, *binas*, velut *potentias*, circa actus voluntariò susceptos exeri solitas, concipiunt docti; per priorem scilicet, *unius objecti ratio convenientia* aut *disconvenientia*, *bonitatis* aut *malitia*, ceu in speculo, voluntati representari creditur; in posteriori autem, putantur rationes *bonitatis* & *malitia*, ex pluribus *objectis* in utramque partem collatis, expendi, institutaque earum *comparatione*, & *consultatione*, de *mediis* ad finem ducentibus, demum *sententiam* fieri *judicialem*, *quid? quando? & quomodo sit agendum?* In hujus *intellectus* pariter *judicio*, non raro oriri pugnas, notius est, quam ut quisquam dubitet; etenim, quod *judicio absoluto* sæpius malum putamus, illud *judicium comparatum*, ex observatione circumstantiarum, *hic, nunc* & *huic*, sæpius rescindit; ut, cum oborta tempestate, nostram salutem, mercium, quantumvis no-

E

bis

( $\tau$ ) *Conf. Adm. Rev. nec non Celeberrimi nostri Theol. D. Wanoebii, Disq. Pract. p. 411.*

bis cararum, jacturâ, redimere cogimur; de qua pugna *Medea* quoque, apud *Ovid.* (v), quærela talis:

*Sed traxit invitâ, nova vis aliudq; cupido,  
Mens aliud spadet, video meliora proboq;  
Deteriora sequor: -----*

Quæ tamen longe diversissima est, à lucta carnis & spiritus; de qua Theologi. (Φ)  
§. VII.

**M**os denique est appellandi hunc intellectum, quatenus cognitione legum est imbutus, conscientiam, quæ 1. pro ratione antegressionis, aut consecutionis, circa actiones nostras, vocatur, antecedens, vel consequens; illa facta antecedit, bonum aut malum, agendum aut omittendum dicitans; hæc v: instar judicii reflexi super omissis, aut commissis, ad probat benè, damnat secus facta, cui comes tranquillitas, aut inquietas mentis, pro ratione intrinseci testimonii, de pace aut ira Legislatoris expectanda. 2. Pro ratione rectæ informationis, de agendis & omittendis, per certas & indubias ratio-

(v) lib. 7. *Metamorph.* v 18. (Φ) videfis ea, quæ modo cum honore nominatus noster *Theol. in dict: Disq. Pract.* p. 414. super ea controversiâ egregie, pro more, disquiri:

*tiones, aut probabiles tantum, quarum scilicet*  
 evidentiam, mens nostra, per modum de-  
 monstrationis, assequi nequit, nomen sortitur, *recta*, aut *probabilis conscientia*; quarum prioris regula, docet: *omne, quod sit sponte, contra conscientiam rectam, esse peccatum*, posterioris verò canon dicitur: *maxime utile & honestum visum esse sequendum*; At si, ex *judicio anticipi* mens nostra fuerit inops discriminis inter bonum & malum, in aliqua actione suscipienda, tum oritur 3. *Conscientia probabilis, actionem interim suspendens, donec clarius informetur*; In qua ubi contigerit, duarum obligationum apparsens concursus, tum manifestum, *laxiorem cedere arctiori*, quando nim: utrique simul satisfieri nequit Huic confinis est, 4. *Conscientia scrupulosa, ex bono putato metuens contrarium malum*; cui proinde *Des Cartes* (X) remedium præscribit, *ex assuefactione formandorum judiciorum certorum & determinatorum, de obliatis rebus*; Sed defectus totalis cognitionis in nobis, circa actionem, proles est *ignorantia, conscientia oppositum*, quam dividunt. 1. in respectu influxus in actio-

*nem, in efficacem, qualis in Abimelecho (ψ), qui si novisset Saram fuisse Abrahami uxorem, eam utique non tulisset; vel concomitantem, ut, cum quis, explosa bombardâ, sine intentione lædendi, hostem ex improvise occiderit, quem nihilominus occidisset, etiam si novisset eum fuisse præsentem, & proinde actio hinc profecta, licet proprie fortuita, (nam pravus affectus ad actum nihil contulit) dicitur fieri ab ignorante, ut prior ab ignorantia. II. Respectu originis, in voluntariam & involuntariam; Illâ, sive directe affectatâ, sive per oscitantiam & socordiam contractâ, ignoramus ea, quæ scire debuimus & potuimus; hæc vero est, vel in se & sua causa talis, qualis in transgressoribus legum Caligula, non solum non promulgatarum, sed & minutissimis literis descriptarum, inque obscure nec non angustissimo loco appensarum (ω): cum eas scire haudquidquam potuerint; quare pœna de ipsis sumpta vere statuitur Tyrannica a noctis; vel in se, sed non in sua causa talis, quomodo ira furentes sæpius peccamus, quam tamen iram cavere potuimus*

(ψ) Gen. 20 v. 4. 5. (ω) Sueton. in vita Calig. cap. 14.



imus & debuimus. Quando autem non solum cognitio in nobis deficit, sed & ejus loco falsa persuasio animum occupavit, in errore versari dicimur, qui vel *vincibilis*, quem debita diligentia cavere potuimus & debuimus, qualis error circa leges esse solet; nam, & *Juris Naturalis precepta generalia* plana sunt, & qui *leges positivas* fert, id ante omnia agere debet, ut illæ subjectis innotescant; vel *invincibilis*, quem adhibitâ cura, quam vitæ communis tenor fert, evitare non potuimus; quales sæpe contingunt, circa negotia singularia, ubi error, qui fit circa *pacta*, ex suppositione alicujus rei & qualitatis, quo nomine consensum dedimus, nisi ex supina obreperit incuriâ, eadem rescindit (a).

### §. VIII.

**P**erstrictæ hoc modo cogitationum nostrarum primæ scaturigini, succedit jam secunda, quam voluntatem prius nominavi, cujus ea est indoles, ut ad proposita sibi ab intellectu objecta, determinet se, quo eligat sibi congrua, & rejiciat incongrua, sive *ὀνως* sive *δοξασως*  
talia

(a) *Conf. Illust: Baroni: Paf. J. N. G. l. 1. c. 3.*

talia; ab hac facultate ergo est, quod  
 tum *spon*te agamus, h. e. ut non ex ne-  
 cessitate aliqua, nostra fiat ad actionem  
 determinatio, sed ejus ipsi auctoritatem  
 & originem vindicemus nobis: tum ut  
*libere* possimus operari, hoc est, pluribus  
 objectis propositis, relinqvendo cætera, u-  
 num eligere, inqve id propositum incum-  
 bere, vel secus, idemqve eligere objectum,  
 & respuere; *illa libertas*, quæ est, quæ  
*ad actus specificationem*, vocatur, *liber-  
 tas contrarietatis*; hæc vero, quæ est, quæ  
*ad actus exercitium*, dicitur *libertas  
 contradictionis*. Ex qua libertate, sive  
*in diversa flexibilitate* voluntatis, secun-  
 dum utramqve acceptionem, adeoque *ad  
 normam semet componendi capacitate*, si-  
 mul cum *potestate superioris*, habentis,  
 & vires malum aliquod contranitentibus  
 repræsentandi, & justas causas, quare  
 circumscriptionem liberæ alterius volun-  
 tatis postulet, *oritur in nobis* (secus ac  
 iis creaturis, quæ, aut ad simpliciter uni-  
 formem agendi modum sunt determina-  
 tæ, aut ex spontaneitate quædam tantum  
 agunt, quemadmodum bestię destitutæ  
 anima rationali & juris intelligente) *a-  
 ppetudo ad recipiendam obligationem*,  
 quæ

*quæ vinculum est juris, quo adstringimur  
 rei alicujus præstandæ, aut admittendæ,  
 ex necessitate morali. Cum autem vita  
 nostra, ea nunquam immunis sit, saltem  
 in respectu ad Jus Naturale, non imme-  
 rito oritur dubium, quare Creator opti-  
 mus, maximus concesserit nobis volun-  
 tatem, cogi nesciam, ejusque, quam in  
 initio & hujus descripsi, nature, ut posito mo-  
 bilisati ejus impedimento, eam non aliter  
 inutilem redderet, quam flexilem vigo-  
 rem artuum, vincula & compedes, cum  
 plurima necessario omittenda velle possio-  
 mus, ut multa vicissim necessario susci-  
 pienda nolle? Cæterum quod nobis, eo-  
 jusmodi licentia, omnia pro lubitu, aut  
 ex vago quodam impetu agendi, tanquam  
 nulli juri, regulæ, aut necessitati, obno-  
 xiiis, non concederetur, requirebat, tum  
 dignitas & præstantia humana in nobis  
 nature, qua sanctius, audimus, animal,  
 mentisque capacius altæ, quod dominari  
 in cætera potest; enimvero, cum citra  
 legem, decor aut honestas intelligi ne-  
 queant, utique quo dignationem a natura  
 datam tueremur, libertas nostra, eâ ita de-  
 buit temperari, ut actionum nostrarum*

rite dispensandarum norma esset; atque quanto splendidioribus natura nos instruxit dotibus, tanto sædus erat, eas, sine ordine, sine decore, temere velut effundi & consumi; *tum miseria, cui vita nostra obnoxia est*, ne, aut plane periremus, aut sane miserrima omnium foremus animantia; enimvero quanta *imbecillitas* est, quæ nos a nativitate comitatur, ut non nisi per miraculum, ad maturam attingere possemus ætatem, sine aliorum ope, cum tot anni, tam sollicita informatio, inter humanæ necessitatis inventa tot adminicula, ad victum & amictum proprio Marte parandum, jam jam requirantur? quanta inter nos *ingeniorum varietas*, quæ sæpius dissensum quasi a nobismet ipsis arguit, cum non uniformi & simplici, sed multiplici & varie inter se mixtâ cupidine agitemur? Quanta in nobis *nocendi proclivitas*, quæ in nullam brutorum speciem cadere potest? siquidem ut longe pluribus expositi sumus affectuum stimulis, ita quoque promptiori nocendi gaudemus facultate; Illa ergo miseria, in nobis salvandis, esse non potuit sine obligationis fræno; atque demum etiam contradictorium foret dare ho-

hominē, siue Creaturam liberæ voluntatis,  
 & tamen immunem ab obligatione adversus  
 Creatorē, cum eo ipso æqualis foret Crea-  
 tori, quia, in quo est libertas, & tamen non  
 obligatio, eo non est potestas quædam Su-  
 perior, quæ obligare potest, quod respectu  
 hominis absurdum, (B).

§. IX.

Observanda autem sunt circa ea, quæ  
 in initio præcedentis §. dixi, præ-  
 cipue duo: 1. distincta esse, τὸ *spontanæum*,  
*Voluntarium & Liberum*; illud, enim, op-  
 ponitur, *necessitati Physicæ*; istud, invito,  
 prout ex metu, ignorantia aut affectu ve-  
 hementiori profecto; hoc ei, quod ex obli-  
 gatione & servitute suscipitur; Ex illo, be-  
 stiarum motus putantur quoq; procedere;  
 Ex isto, actiones humanæ ad legis civilis te-  
 norem susceptæ peraguntur; Ex hoc, omnes  
 actiones indifferentes fiunt. 2. Vocabula,  
*libertatis & indifferentia*, diversis di-  
 versimode sumi; Aliis enim *libertas*, illis  
 explicatur modis, quos priori §. propo-  
 sui, quibus pariter illa *in indifferentiâ*  
*dicitur consistere*, quæ perfectionem invol-

F

vere

(B) Conf. præterea quæ supra cum honore  
 cit. D. Puf. in ejusdem sui J. N. & G. l.  
 2. c. 1. de his doctè protixèq; satis differit.

vere apud eosdem putatur; idq; circa omnia  
 objecta particularia, licet non universalia;  
*Aliis vero libertas, nihil aliud est quam*  
*summa alacritas & propensio voluntatis,*  
*orta ex clara & distincta propositione ra-*  
*tionum bonitatis & malitia, quæ ex ob-*  
*jecto in utramque partem offeruntur, idq;*  
*ab intellectu, ut sese determinet volun-*  
*tas eò, quod congruum videtur, quibus*  
*vicissim, Indifferentia aliquam videtur*  
*imperfectionem involvere, ut tantum, cum,*  
*dicamur indifferentes, quando objectum*  
*a deo confuse est propositum, ut voluntas*  
*nostra nesciat, quo se determinet, quam*  
*propterea D. De la Forge vocat indiffe-*  
*rentiam facultatis, sicut priorem indif-*  
*ferentiam actus. Verum, ut non om-*  
*nes actus voluntatis, ultimi appetitus ra-*  
*tionem induunt, sic quoque nostræ vo-*  
*luntatis motus, alii finem concernunt, alii*  
*media, ad finem ducentia; Circa finem, no-*  
*rum est, nostrum appetitum, ita se habe-*  
*re, ut ab intellectu præscripta, primò,*  
*simpliciter adprobet; (qui actus dicitur*  
*1. Gradus voluntatis, & impiis etiam*  
*tribuitur in vita beata appetenda) Deinde,*  
*ad eadem consequenda efficaciter sese*  
*moveat, nunc vehementius, nunc remissius,*  
 (qui

(qui voluntatis 2 est gradus) obtentis de-  
 mum acquiescat, placideque fruatur;  
 (qui 3 & ultimus) quibus totidem re-  
 spondent actus circa media, nempe 1.  
 simplex, mediorum ad finem utilium, ad-  
 probatio, quæ media si nostræ fuerint  
 potestatis 2. electio ad finem obtinendum  
 destinata; & 3: usus applicat. (γ)

### §. X.

Cæterum, cum illum appetitum natura  
 non male nobis indiderit, ut universali  
 quodam consensu, in bono appetendo &  
 malo fugiendo conspiremus, non sine rati-  
 one videor habere suscitantem, unde ergo  
 illa tanta inter nos singulos appetituum  
 conspicua varietas profuere, ut totum  
 genus humanum, non inscite cuidam di-  
 ctum fuerit: *bellua multorum capitum?*  
 De qua quoque Poëta:

*Tres mihi conviva prope dissentire videtur,  
 Poscentes vario multum diversa palato.*

Verum quantumvis huic reponere possem  
 unicam communem mortalium in prava,  
 non quidem sub specie malitie, sed boni-  
 tatis, proclivitatem, à lapsu ortam Ada-

F 2

misi-

(γ) adeatur ejusdem modo laudati

D. Puf. J. N. G. l. 1. c. 4.

*mitico; tamen ut dubium clarius evadat,*  
*paucas tantummodo ex naturâ & rectâ*  
*ratione afferâ causas; nempe: ut (α) præ-*  
*teream, illam mixturam bonitatis & ma-*  
*litiae, quæ nobis occurrit, in objectis*  
*particularibus discernendis, adeo ut non*  
*singula pura, sed in multis mala bonis,*  
*bona malis velut intexta, percipiantur;*  
*sileam etiam (β) diversitatem in objectis,*  
*diversas afficiendi in nobis quasi partes,*  
*quomodo sensus nostros externos affici-*  
*entia, sub jucunditate comprehendimus;*  
*illa vero, quæ respiciunt tenerimum al-*  
*lum in nobis nos conservandi affectum,*  
*percipimus ut utilia; eorum autem spe-*  
*cies, quæ videntur concernere illud præti-*  
*um, quod nobis imponimus, repræsentan-*  
*tur, ut honesta; hinc, pro cujusque ha-*  
*rum idearum nobis impressa motus va-*  
*lidity, etiam nostram fieri propensio-*  
*nem, notum est; & ut tandem (γ) taceam,*  
*peculiare istas nobiscum connatas ad cer-*  
*ea propensiones, aut aversiones, quæ singu-*  
*lis singulas protrudunt bonitatis aut mali-*  
*tiae circa objecta ideas; ad quarum solidum*  
*discrimen, aliis majorem, aliis minorem,*  
*competere perspicaciam cernimus; ex qui-*  
*bus omnibus sequitur nec mirum esse,*



si alter ab eo abhorreat, quod mihi gratum videtur, & vicissim; *Momenta* tantum quædam quasi *externa*, voluntatem nostram versus hanc partem magis quam illam propellentia, comemorabo, qualia sunt 1. *Peculiares ingeniorum dispositiones*, tam in singulis hominû, quam integris nationibus; sic *præstans ingenium non suppeditat Bœotia, sed Attica fecunda est præclaris ingentiis* (d); quas tribuunt proinde Eruditi & diversæ studiorum rationi, & variæ constitutioni corporis nostri, ortum trahenti, cum a parentum semine, tum a terræ, quam inhabitamus, & alimentorum cælique nos ambientis genio, quibus sustentamur, nec non humorum in nobis temperatura, variaque organorum habitudine, quibus mens ad functiones suas utitur, secundum ætates, sexus, valetudinem, aliasque innumeras conditiones; circa quæ tamen in universum tenendum, *nullam harum dispositionum ejus esse potentia, ut violenta quasi coactione voluntatis, eandem spoliare possit jure, quod sibi adscribit, imputat vitæ, et enim ut nihil loquar, de illa potentia obedientiali, quæ complexioni inest nostræ in ord* ine

ad

(d) E. Spertl. *Anthropol.* p. m. 76.

ad voluntatem, ut adhibitâ curâ non parum possit alterari; id cuius patet, in nostra esse potestate, ejusmodi impetus in tantum reprimere, in quantum ratio sibi exigat humani, ne scilicet in adus erumpant exteriores vitiosos: (2) *Consuetudines*, enatæ ex frequenti ejusdem generis actionum repetitione, unde fluunt actionum quarundam tam expeditæ executiones, ut ad illas non aliter quam per magnitimum ruere videamur; quæ consuetudines, si ad *conserpationem nostræ* & civitatis tendant, veniunt nomine *virtutum*; si vero secus, *vicia* vocantur; in quibus tamen illud deprehendimus, quod ab eis, nihil minus quam *spontaneitas* voluntati decedat nostræ, ceu enim ad exteriores adus eandem nihil proprie cogit, ita quoque, quia penes nos fuit ejusmodi contrahere consuetudinem, utut hæc actiones faciliat, æstimationi tamen earum nihil decedit, quin potius ut bona consuetudinis mos est laudem, ita mala, è contra, vituperium actionum, intendere. (3) *Affectus*, de quibus Pindarus: αἰ δὲ Φρενῶν παραχαί παρέπλαξαν ἡ σοφόν: mensis autem perturbationes in errorem

*impellunt etiam sapientem. (3) de quibus nunc sufficiat annotasse; etiam illos, qui imbecilliores, puta accidentaliter, animas habent, posse acquirere absolutissimum imperium in omnes suas passiones, si sat industria adhibeatur, ad eas instituendas & dirigendas (?); & naturæ convenientius esse, eos affectuum motus, qui tendunt in aversionem alicujus boni, sub specie tamen mali, plus mereri favoris, quam qui instigant ad malum, sub specie boni; longe quippe tolerabilius est carere bono non adeo necessario, ad naturæ conservationem, quam excipere malum, ad ejus destructionem tendens. (4) Morbi, usum rationis, aut plane tollentes, aut tantum ad tempus sepelientes; qualis ebrietas, quæ mentem turbat, violento spirituum & sanguinis impulsu, ad varia vitia, libidinem nempe temeritatem & enormem læticiam; qui morbi sponte contracti à delictis non excusant. (5.) Pericula animi humani firmitatem excedi visam; unde proveniunt quoque actiones mixte, id videlicet cum spontaneis commune habentes, quod pro præsentis statu, utique tanquam minus*

(3) Olymp. od. 7. (17) Cartes.  
 in tract. de pass. Anima art. 30.

minus malæ eligantur, à voluntatis *pro-  
gressu minus plenâ*; cum *invitis* autem  
quoad *Imputationem*, quod plane non,  
aut non tantopere agenti imputentur, ac  
plene voluntariæ. 6. *Obligaciones*, quæ  
voluntatem maxime inclinant, aut sane  
inclinare debent moraliter, salva tamen  
libertate contrarium agendi, quemadmo-  
dum de istis solide satis disquirat Illust:  
Baro Puf. ( 7 )

## S. XI.

Cæterum, ceu ex his principiis *Intellectu*,  
nempe *Et voluntate*, profluit *actio hu-  
mana s: moralis*, ( quæ involvit *materiale*,  
*motum* scil. *Physicum*, vel ejus *omissionem*,  
aut nostri ipsius tanquam proxime agen-  
tium, vel aliarum personarum & rerum;  
& *formale*, nimirum moralitatem, or-  
tam ex conformitate cum lege, per quam  
effectus nobis tanquam agentibus volunta-  
riis possunt adscribi: quibus, & præterea ad-  
junguntur, tam I. *Qualitates*, ut: ( a ) *ne-  
cessitas*, quæ oritur ex legis jussu, licet per  
vires naturales, actio de facto omitti, aut  
secus, queat. ( b ) *licentia*, scilicet abusive di-  
cta, inq; iis observata actionibus, quæ civi-  
lis legis pœna prohibita non sunt, utut

Lex

( 7 ) in *superius cit. J. N. & G. l. 1. c. 4:*

Lex Naturalis eas vetare videatur; harumq; opposita propriis destituta vocabulis, quæ observantur in actionibus, quæ dicuntur, aut *non necessaria*, sive *permissa*, quia legum præcepta, easdem, neque inculcaverunt, neque prohibuerunt, unde cujusque arbitrio censentur relictae, an omitantur, an vero suscipiantur; aut *illicite*, & quæ contra legis dictata suscipiuntur. (c) *bonitas*, ab omnimodâ legis congruentiâ orta; ejusque oppositum, *malitia*, nata ex difformitate cum lege; sive quoad *materialia requisita quasi*, quale furcum ad erogandas elemosynas; sive *quoad formale tantum*, materiali interim bono, ut concubitus cum uxore, quasi aliena foemina. (d) *Justitia*, non quidem quatenus personis tribuitur, unde justus homo vocatur, qui justa faciendo delectatur, injustus contra negligens suum cuique tribuendi; sed quatenus affectio est actionum, quo sensu, *recta audit applicatio actionû ad personam, cui illa debetur*; huicque contraria *injustitia*; quarû illa, præterea, dividitur, in *universalem & particularem*, & vicissim *particularis, in distributivam & communitativam*. *Differentia*, vero, *qualitatis hujus à priori, est ulterior respectus, ad*

*personas, in quas actio exercetur. Quam  
 2. Quantitas sive æstimatio, qua acti-  
 ones humanæ librantur, vel respecti-  
 ve & relate ad se mutuo, ex nobilitate  
 vel ignobilitate objecti, tum utilitate in  
 alium majori vel minori; vel absolute,  
 & in se, ex conformitate cum lege & inten-  
 tione agentis, unde præter insigne illud  
 discrimen, quod deprehenditur inter bo-  
 nam & malam actionem, etiam mala ac-  
 tio, suam habet intentionem, tam respec-  
 tu materialium conditionum, quam for-  
 malis rationis, non aliter, quam una cur-  
 vitas, à rectitudine magis decedit, quam  
 altera; & bona, suos sortitur gradus materi-  
 aliter & ratione objecti, nec non quoad in-  
 tentionem obligationis, quamvis non for-  
 maliter & præcise, cum recto non detur  
 rectius.) Ita quoque per eadem principia,  
 intellectum, puta, & voluntatem, id pecu-  
 liare præ brutis habemus, ut ad ratio-  
 nem reddendam, de nostris, adstringamur  
 actionibus, & effectus, qui ex illis proveni-  
 unt, in nos redundant, sive boni sint, si-  
 ve mali, eorum, puta effectuum, qui, pe-  
 nes nos fuerunt, ut fierent, vel secus; quare  
 ab ista imputativitate, eximuntur im-  
 possible, scilicet tam moraliter quam  
 Phy.*

*physice*, ceu quæ proveniunt, aut ex necessitate *physica*, ut: *effectus facultatum vegetabilium*; aut ex ignorantia invita, tum naturali rationis defectu, aut quæ videmur in somniis agere, nisi diurnis cogitationibus eis animum dederimus; quæque ut nuda instrumenta, ex debito, facimus: cum e contra, non solum propria actiones voluntariæ, nobis imputari possint, sed & alienæ, ad quas tantummodo efficaciter aliquid contulimus, vel agendo vel omitendo, quod agere, vel non agere, potuimus, & debuimus; quæ imputatio, etiam diversos sortitur gradus, prout principaliter, aut minus principaliter, aut instar causarum secundarum, ad alienas concurrimus actiones. ( 3 )

## §. XII.

Quandoquidem vero in §. 2. hujus capituli præter potentias jam explicatas, quoque meminerim sermonis, qui res mente conceptas oratione manifestat, ut pulcro ordine res, conceptus, verba cohæreant; & risus, qui ob bonæ Fortunæ præprimis commoda, jucundo motu pectoris, hilaritatem

G 2

tem

( 3 ) Consule modo laudati Authoris  
lib. 1. c. 5. 7. 8.

tem exprimit; qui, licet non semper quoad *secundū*, tamen quoad *primū* indefinenter menti nostræ competunt; proinde ne penitus oblivioni à me traditæ viderentur, verbo istas potentias attingere, ratio instituti heic iussit; numerantur, vero, *sermonis organa*, præter *linguam*, quæ *instrumentum loquelæ est principale*, etiam *aspera arteria, pulmones, palatum, labia, dentes*, tanquam *minus principalia*; ad *risum* vero requiruntur *dilatatio cordis, motus Diaphragmatis, & musculorum thoracis, eorumque, qui à lateribus buccæ sunt*; quæ singula non sine magna, *sanguinis calidioris & spirituum diffusione*, fieri possunt; *Risui* verò oppositus est *fletus*, ad *representandam tristitiam*, ut plurimum *etiam ordinatus*, qui se manifestat *per lacrymas ex humore, qui à cerebro propulsus, circa glandulas oculorum colligitur, mediante oculorum musculis, oculum constringentibus, formatas*.

## CAPUT. V.

### §. I.

**C**eterum, cum constet nostram essentiam, ex sola anima non esse constitutam, sed etiam corpore simul juncto



Sto, utique non arbitror prorsus alienum  
 fore, si considerationi animæ nostræ,  
 jam subjungam quoque paucis, corporis  
 delineationem talem, qualem Geographi  
 in descriptione orbis per rudia quædam  
 filamenta producere solent, nec enim rigi-  
 dam illam, *Stoicorum* aut *Pythagoræorum*,  
 censeo adprobandâ, de corpore nostro, tam  
 egregie fabricato, censuram, qua, ad natu-  
 ram nostram nihil magis judicarunt corpus  
 conferre, quam ergastulum iis, qui ser-  
 vilibus ibi urgentur operibus, unde quo-  
 que *alterum illorum medium, ad assimi-*  
*lationem Divinam*, quæ scopus erat Phi-  
 losophiæ Italicæ: τὴν καθάρσιν ὑπὸ τῆς ὑ-  
 λικῆς ἀλογίας, καὶ τῆς θνητῆς σώματι,  
 seu *purgationem & liberationem à fece-*  
*rationi contraria, & mortali corpore* (1),  
 effluxisse testatur B. m. D. Schefferus (x):  
 nam, si penitus corpus nostrum confi-  
 deraverimus, facile constabit, illud adeo  
 affabre factum esse membrisque ornatum,  
 ut dignum sit animæ habitaculum; quid  
 enim de artificiosissimâ illâ partium no-  
 strarum coagmentatione & varietate pul-  
 cherrima

(1) *Hierocles ad carn: sur: (x) in Tractat:  
 de Phil. Ital. c. 9.*

cherrima dicendum, quæ attentos sui æ-  
 stimatores haud raro admiratione per-  
 cellit? namque 1. In *capite*, à *vertice*  
 usque ad *primam* colli *vertebram* pro-  
 tenso, ubi *cerebrum*, cum suis locatum  
 est partibus animalibus, ubi mentis vi-  
 gor, sensuum alacritas & iudicii ardor,  
 sedem fixerunt, *partes* sunt, vel *externæ*,  
 vel *internæ*, *illæque*, vel *cesariæ* *compra-*  
 ut, cranium constans, occipite, sincipite,  
 temporibus & vertice; vel *levitate pul-*  
*eres*, ceu facies, fronte, naso, oculis  
 externis, genis, labiis, ore & mento,  
 magnifica, & aures pinnam & lobum  
 habentes; *hujus* autem *partes continen-*  
*tes* sunt, cranium, pericranium, & binæ  
 meninges; *contenta*, vero, cerebrum, o-  
 culi, quæ partes scil: interiores, similique ra-  
 tione aures, lingua, palatum, uvula, fau-  
 ces, Tonsillæ & musculi. 2. In *Thorace*,  
*cordis* concludente regimen atque *par-*  
*tium vitalium*, cujus termini, à parte  
 superiori, prima *vertebra* colli, ab inferiori  
 ore vero, *cartilago macronata* & *costa*  
 dicuntur pariter *partes* sunt *externæ*, vel  
*internæ*, *illa* collo, jugulum, & cervi-  
 cem complectente, & thorace absolvun-  
 tur, cui in specie sic dicto, insunt pectus,  
 dorsi.

dorsum, & latera, in pectore sternum & mammae, in dorso scapulae & spina, in lateribus costae utrinque; 2. stabulantur; *Has*, vero, circumscribunt collum & thorax in specie dictus, in collo vero est, aspera arteria, ad pulmones demissa, aëri repellendo & excipiendo, præcipuum existens instrumentum; sed in thorace præter mammæ, cor, & pericardion cor involvens, nec non pulmones respirationis istos folles, diaphragma, pleura, mediastinum, cum thoracis musculis sedem posuere; 3. In *Abdomine*, à parte superiori *cartilagine mucronata*, inferioria *ossibus pubis* circumscripto, in quo, *heparis*, cum reliquis *partibus naturalibus*, statuitur domicilium, idemdem *partes externæ*, sunt epigastrium, à mucronatâ incipiens cartilagine, & sub pube desinens, atque diazoma, terminos habens suos in costis externis & natibus; *internis*, autem, concludi creditum est, tum *partes nutritionem promoventes*, quales, gula, stomachus, intestina, omentum, mesenterium, pancreas, vesicæ biliaria & urinaria, lien, renes, ureteres; tum *partes generationi destinatae*, eaq; vel communes utriusque sexui, ut vasa præparatoria & deferentia, cum

testibus & parastatis : vel singulis propriæ, vitis, ut penis & prostratæ: fæminis, cum utero, matrix. Ut & 4. In *manibus*, quæ à *scapulis*, usque ad *digitorum apices* protensæ, apprehensioni interserviunt, sunt brachium, cubitus, & manus parva; sed 5. In *pedibus*, qui à *natibus*, itidem, ad *digitorum fastigia* extensi, ambulationem promovent, sunt femur, tibia & pes parvus. quid pro porro, de mira & singulari illâ ordinatione istarum partium corporis, ad vicem assuetam præstandam dicendum? quantum, enim, officium est *Stomachi*, alimenta ori ingesta, & mastigata, perque gulam demissa, excipientis & digerentis, quo, materia, succo & sanguini, inde ad nutritionem, auctionem, & denique generationem corporis, subministratur? quantum *cordis* est beneficium, unde vita accensa fovetur, sanguini, in venarum & arteriarum tubulis, per totum corpus diffusis, constituto, motum imprimendo, ne instar aquæ stagnantis putrescat corpus? quantum *pulmonum* est munus, respiratione h. e. aëris receptione & expulsionem, sanguinem refrigerantium? quantum denique præstat ipsum *cerebrum*, perpetua glandularum serie humo-

humores pro re nata secernens, atq; *38. nervorum paria*, juxta communem supputationem, spiritibus animalibus (qui formati sunt à spiritibus vitalibus, ex sordibus crassioribusque particulis suis, sive humoribus depuratis, ope glandularum, ) turgidula, ex ipsis penetralibus suis in quaslibet corporis partes distribuens, ut sensus motusque promoveantur? quot quamque miræ, in corpore nostro *ossium*, quæ Anatomici *300.* numerant, commissuræ? quam tortuosæ *vertebrarum*, cum suis pariter *300. cartilaginibus* juncturæ? quot compages *musculorum*, quos pariter recensent *400.* mutuas operas tradentium? quot *arteriarum*, ex corde excurrentium, per *ranam ascendentem, vel descendentem*, eodemque recurrentium *venarum*, *Portæ* scilicet, & *Cavæ*, rivuli existunt, per universam corporis machinam propagati? quot quamque tenues *carnis fibrillæ*, vel *rectæ*, vel *obliquæ*, vel *transversæ*? Hic *membrana* tactui inserviens, nunc totum corpus vestit, nunc singularia membra contegit; Hic motui inserviunt *tendines*, contra frigus tventur *carnes musculorum, viscerum, glandularum, & quæ fibris adnascuntur*; Hic fluxus humo-

rum prohibet *cuticula*, humectat agitque *pinguedo*, & tandem singulas partes contegit *solidior cutis*, ornant & communiunt, cum *unguibus, pili*. (λ)

§. II.

Quia vero tanta machina sibi constare non posset, nisi aliquid esset, per quod aleretur, multis continuè attritis particulis abeuntibus, proinde alimentis, in *Stomacho*, vi liquoris cujusdam acidi, adjuvante calore parenchymatico cordis, digestis, inque *Chylum*, sive candidam substantiam conversis, mox hic *Chylus* per quasdam venas *jecur* subit, inde in *lienem*, & tandem ad *hepar*, ubi dicitur colore rubicundo tingi, transfertur, indeque transiens per *venam cavam* & dextram cordis *partem*, vi caloris cordis dilatatus, cum impetu in *venam arteriosam*, & inde in *pulmones* ruit, unde reversus inq; *cordis* sinistram cavitatem receptus, vicissim cum expansione, inde, per *arteriam venosam*, in *arteriam magnam* emittitur, cujus rami per totum corpꝰ diffunduntur, donec per varios ductus, rursus per *cor* in *arterias*, juxta doctorum supputationem, *ter unius horæ*  
spatio

(λ) adeatur de iis prolixig tract: B. m. Clavis. Sperl: in totâ part: spec: 2. Anthropol. sus

*spatio*, circulatus, in perfectum elaboratur sanguinem, & per totum corpus distributus, in ejus substantiam demum convertitur; unde quoque est, quod toties pulsus sentiatur, quoties cor, novum, recipit in *syssote* sanguinem. (μ)

## CAP. VI.

### §. I.

**P**ostquam, verò, hoc modo, nostras partes, ex quibus constituti sumus, sigillatim lustraverim, nec inconsultum arbitror, videre paucis, quid nobis, ex illarum partium tribuatur conjunctione; & vero, quia notum est, tum animam, ea lege corpori esse unitam, *ut certibus motibus corporis, certæ in animâ idæe respondeant, & vice versa*: tum multa tenuium nervorum filamenta, à cerebro (cui anima licet per totum corpus diffusa, & suam præcipuam in corde sedem habens, unde cogitationes natæ cerebro communicantur, specialius tamen operationibus voluntatis & perceptionis unita creditur ab Eruditis) in omnes corporis partes esse diffusa, quæ paulo vehementius agitata, cerebrum movent, ut anima, istorum beneficio, externorum objectorum impressiones sentire

(μ) *Contempl: Mundi B.D. Achrel. p m. 363.*

tire queat, a<sup>n</sup>i: cogatur, & ceu ejusmodi sensationes, vel fiunt *cum alteratione cordis*, vel *secus*, sic & nomina, vel *affectuum*, vel *sensuum*, in specie dictorum sortiuntur; in utroq; ergo, *res faciunt Docti gradus* 1. *nimiram: organi externi & spirituum commotionem*, cui in illis superadditur *sanguinis & cordis alteratio*. 2. *Perceptionem anime* consequentem 3. *In illis, animi perturbationem*, quatenus est præceptus quædam *judicii & voluntatis inclinatio*, aut *aversio*; in *his*, verò, *judiciū de perceptione*, an clara, vel obscura hæc fuerit, itemque de re percepta, qualis illa sit. Quemadmodum vero, eorum ortum, usum & divisiones, prolixè satis passim explicuere Eruditi, ita quoque præfixa brevitatis, omnibus istis supersedere mihi injungit, B. L. proinde ad istos modeste remittendo, unico hic solum observato, *sensuum* scil. *externorum numerum quinarium*, videl: *Visus, Auditus, Olfactus, Gustus & Tactus*, à varietate externorum organorū, illis inservientium ortū, ab omnibus cordatis facile agnosci, adjecta juxta triga *sensuum internorum*, nempe: *sensus Communis, Phantasia & Memoria*. Verum, à recentioribus, non plures quam *sex*, statui *primitivos affectus, Admirati-*  
*onem,*



onem, nempe, *Amorem, & Odium, Cupiditatem, Latitiam, & Merorem*, ceteros vero omnes ceu *secundarios*, vel *ab eorum pluribus esse compositos*, vel *ad eos tanquam sua genera esse referendos*. Quomodo vero veteres, per *Philosophiam suam Parabolicam*, in fabula *Dionysii*, eosdem affectus etiam scite satis expellerint, consuli potest Illust: Anglus De Verulamio. (v)

## CAP. VII.

### §. I.

**L**ustrata hoc modo, & ea qua fieri potuit brevitate, nostra naturâ, non potum non in officiorum inde resultantium, examen, etiam nunc, provocari; tantis enim dotibus, quas inter facultas decentem intelligendi ordinem, nec non potentia ex intrinseco inque diversam partem flexibili principio, ad intellecta sese movendi, non frustra nos instructos esse, quilibet decernit, quin obligationis capaces, concessis ita uteremur facultatibus, ut exinde Creatoris explendesceret gloria, nostraque amplior, felicitas; cumque *illorum officiorum* alia, dicant, *quid nobis ipsis: alia, quid DEO, & societati debeo*

AMMS;

(v) in suis *Augment: scient: p. m. 201.*

*amus*; recto itaq; hinc progredior pede, ad officia ea, quæ nos, erga nosmet ipsos, stringunt, quippe quæ adhuc, ad *objectum reale* pertinent, quorum *existentiam*, vel *tenerrimus* ille, cuius in situ, semet *conservandi affectus*, arguit, qui licet absque *obligatione*, solus insufficientis erat, cui, tanquam fundamento indubitato, *socialitas* superstrueretur, ob insignes illas ærumnarum vices, quibus vita humana sæpius quoque obnoxia est, quæ, in defectu præcepti contradicentis, haud difficulter nos in *ἀνθρώπων* impellerent, nunc tamen tanquam obligationis nobis impositi strenuus minister, & satelles, ad nostri excubans custodiam, evidens jam est index, leges socialitatis, nobis a Creatore, qui solus maxime obligare valet, præfixas, id ante omnia exigere, ut primam circa nosmet ipsos operam collocemus, quo ad felicem officiorum adversus alios functionem, tanto habiliores simus, quanto præstantior quilibet præclariorque, hujus civitatis magnæ, sive societatis humanæ, existit membrum. Circa quam tamen obligationem, accurate observandum, ejus quidem *obligationis exercitium* in nos terminari, ut tamen *jus exercitium*

63  
ejus obligationis exigendi, & neglectum  
vindicandi, non penes nos, sed DEUM sit,  
unde haecenus, nostri ipsius commodo pro-  
movendo, obligati sumus, ut DEI servi &  
societatis humanae partes, quibus nos u-  
tiles, ex mandato ejus, qui potestatem  
in nos habet, reddere tenemur: ut solide  
loquitur saepius cum honore nominatus  
Baro Dn. Pufend. ( § )

§ II.

Cæterum, cum officia illa, adversus nosmet  
ipsos, imprimis concernant sanam Phi-  
sophiam, utiq; non potest non ἀνθρώπινα,  
decentem, injungere nobis, curam partium  
nostrarum essentialium, animæ nimirum,  
& corporis, vel quæ minimas etiam partes  
integrantes, singulasque earum dotes,  
ut scilicet sic mens sana in corpore sano. Hinc  
ergo animæ, tanquam in corpore Regi,  
moderatorique actionum, tanto majori  
cura studendum esse patet, quanto sub-  
limioribus, præ corpore, destinata est of-  
ficiis; Hæc autem cura, cum sine labore  
justo exeri non possit, proinde, ut suis  
rite perfungatur muneribus, justo est fir-  
manda labore, enim vero, ut in natura vires,  
saepenumero, non exiguæ, latere possunt,

quæ

( § ) in ejusdē sui I. N. & G. cap. 6. lib. 1.

quæ non nisi cura & culturâ sedula ex-  
 fertæ evalescunt, ita animæ nostræ vi-  
 res, nisi disciplinæ & excercitationis qua-  
 si adminiculis excipiantur, nihil lauda-  
 bile intendere possunt, unde quemlibet,  
*Summâ ope niti decet, ne pecorum ritu  
 vitam silentio transigat* ( o ) turpemque  
 adeo incurrat notam, quâ, ceu *inutile  
 terræ pondus*, hominibus frugi se meri-  
 to perstringendum præbeat, ita tamen,  
 ut occupationes ad atterendas, longe ma-  
 gis, quam promovendas vires naturales  
 comparatas, quatenus commode & ho-  
 nestè fieri potest, fugere debeat; unde  
*τὸ ἐφ' ἡμῶν sectanda, nec enim cuivis li-  
 set adire Corinthum; Et invictus esse  
 poteris, si in nullum certamen descendas,  
 quod vincere tui non est arbitrii* ( π ).  
 Inde tamen, bona ingenia, verecundiâ  
 non debilitentur, nec prava & stolta  
 audacia confirmantur, Sed hinc nihil mi-  
 nus, quam patrocinium illis paratur, qui  
 sollicite, labores, nobis à Creatore impo-  
 sitos, fugiunt, speciosum, ignaviæ suæ  
 tranquillitatis titulum præferentes, ut vi-  
 tæ spatium tanto diutius prorogent,  
 quan-

( o ) *salust: conj: Cat: cap. 1.*

( π ) *Epict: ench. 19.*

quanto longius id à labore removent, etenim, præterquam quod, mors ipsa tempus est iners (ρ): ne pigri quidem, sibi facta disponunt, sed unicum bonum, diuturnam vitam æstimantes, sæpè mors acerba occupat (σ): Imo vero, cum vita nostra sit stadium, exserendis, ex dictamine rectæ rationis, nostris viribus, quod non reciprocatione spiritus sola, sed bonis actionibus, simul, est metiendum, proinde ad talenti nostri usum largiorem, aliis dispensandum, occasionem brevioris ævi probabilem, eligere non vetat, absque tamen intentione semetipsum interimendi.

### §. III.

Inter istos autem labores, quibus mens nostra exerceri debet, facile primas obtinet, donorum illorum à Supremo Numine, præ brutis nobis concessorum, rudera putata, imaginis divine, sollicita consideratio, unde demum uberrima virtutum colligitur messis; quam animi georgiam, sequitur iudicium de singulis rebus, quemadmodum à Creatore sunt productæ, quo nomine ea sunt tollenda, quæ cæcitatibus

I

n. bus

(ρ) Ovid. l. 1. de Pont. El. 60

(σ) Curt. lib. 9. cap. 60

nebulam menti obducere solent, quibus merito annumerantur, nimis præceptis sensibus impositum iudicium, firmaque iis solis fiducia, nec non nimia affectuum licentia, quam, eo vigilantiori oculo, censent Eruditi, observandam, quanto magis, præter modo dictum, quod à se evomit virus, tam animi, quam corporis sanitatem imminuit, post frequentatum sæpius & immodicum sui recursum; quo tamen affectuum, ad rectæ rationis & honestatis præscriptum, moderamine, nihil minus volo introductum, quam Stoicorum ἀπάθεια, cum nemini non pateat, sine affectibus, ( qui partim materiam & objectum internum virtutum constituunt, & partim actionum moralium existunt instrumenta, & vehicula ( τ ).) languere virtutem ( υ ); unde, sine Ira non est fortitudo, sine metu, prudentia, sine cupidine, temperantia, sine læticia, sensus amorque virtutis ( Φ ); sed, quia nunquam ita quisquam, bene subducta ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, usus, semper aliquid apportet novi, aliquid moneat:

( τ ) Adm. Rev. D. Wanoob. Disq. Pract. p. 530. ( υ ) Seneca l. 1. de Ira ( Φ ) Lipsius l. 3. manud. c. 7.

ut illa, quæ te scire credas, nescias; & quæ tibi putaris prima in experiendo, ut repudies (X); proinde:

*Discere ne cesses, cura sapientia crescit,  
Rara venit longo Prudentia temporis  
usu (ψ).*

Hinc animus, ante omnia, ad commode tollerandam vitam sociale, est informandus, officiiq; nec non honesti sensu & amore imbuendus, quo nomine imprimis discernendum, quos nos & quales esse velimus, & in quo vitæ genere (ω), prout rationibus hic, nunc, & huic, rite expensis, necessitas efflagitare videtur. Sed, ne sic quidem, languori desidiolo consulitur, ut pluribus quam perferre possumus, inhiemus, nihil enim bene excerceri posse, inquit Seneca (α), ab homine occupato, quando districtus animus nihil altius recipit, sed omnia velut inculcata respuit. Unde adagium: pluribus intentus, minor est ad singula sensus, multo igitur melius, modicum sibi sumere, cum diligentia expediendum, quam cæterorum penè omnium facere jacturam.

I 2

§ IV.

(X) Ter. Adolph. Act: 5. sc. 4 (ψ) Cat. in dist. l. 4. 27. (ω) Cist. off. l. 2. (α) de beat. vit. c. 6.

Quæ vero corpori, *cujus falturis animus sustinetur* (β), debentur, hæc ferè sunt: ut nimirum, vires ejus congruentibus alimentis & laboribus conserventur, atque confirmentur, & quantum ad conseruationem speciei, Veneri quoque aliquid concedatur; Hinc ergo fuit necessitas *Temperantiæ, Continentiæ & Castitati, Fortitudinis*, variorumque corporum animique studiorum, exercitiorumque; Nam *Intemperantiæ & Incontinentiæ*, quæ in potu, *Promacho*, ab *Alexandro M. in vini certamine victoriam obtenturo, vitam intra triduum ademit* (γ): & in inuenere, *Heliogabalum pellicum multitudine, morem imitantem Neronis, nunquam bis vestimentum induentis, post breve imperium a Prætorianis casum militibus, uncoque per urbem tractum, in Tiberim demersis* (δ), nec non pusillanimitatis, & studiorum operumque omnium neglectus, *cujus ideam in Sardana-palo repræsentant Historici, & corpori & animæ labem, non tantum inducunt eam, quæ inidonea societatis membra, sive*

info-  
(β) *Plin. l. i. ep. 9.* (γ) *Plutarch: in Alex. M.* (δ) *Laurenberg. Cron. p. 129.*



infociabiles reddimur, sed etiam nostram adeo pervertunt salutem, ut alimentis à stomacho rite non digestis, per chylum crudum venas intrantem, corpus læthali afficiatur morbo.

§. V.

Cæterum, cum conservationem nostri adeo anxie Natura nobis commendaverit, ut in vitæ nostræ terminos prorogandos, nihil non intentemus, proinde, occurrentibus, tum legum, tum sententiarum, de ea vitæ conservatione divortii, non sine causa oritur quæstio ista, ab *ἀπορροια* nostra expendenda: *An scilicet, jus habeamus aliquod in vitam nostram tantum, ut de eadem nobis liceat pro lubitu & quovis pruritu disponere, vel usq; ad propriam ἀπορροιαν?* Nam usque adeo non paucos invenire licet pro affirmativa pugnantem, qui, aut cum Stoicis, dicunt, nihil interesse, an mors ad nos veniat, an ad illum nos (ε); aut cum Gymnosophistis, expectatam mortem, pro dedecore vitæ habent (ζ); aut sane cum Rhazia (η), aliisque, vel ob ignominio-

(ε) Seneca ep. 69. (ζ) Curt. l. 9. c. 9.

(η) 2. Machab. 14. v. 41.

niosam servitutem, vel captivitatem, vel famem, senectutem, & alia ejus modi tremenda, liberum capiunt mortis arbitrium; Unde à *Donatistis*, & *υποφωτιαν* non solum ut licitam, sed etiam ut opus meriti, & speciem *Martyrii*, insigniter deprecaturam, refert Augustinus (9). sic lege *Taprobanensi*, certus annorum definitus erat numerus, quo expleto insolentis mortis genere decedebant, herba indormientes, qua citra sensum necat (1); quem numerum apud *Ceos*, ad annum sexagesimum, commemorat *Strabo* (x) excessum, unde aconito vitam finirent, ut reliquis cibaria sufficerent. Similem quoque *Herulorum* morem, narrat *Procopius* (λ), apud quos senio, aut morbo confecti, mortis de se sumere arbitrium volupe erat, uxeribus, etiam, ad mariti defuncti monumentum, laqueo se necantibus. Sed antequam quaestionem determinare fas est, removendi sunt hinc *furibundi*, & alii qua rationis usum plane impediti, quibus *imputativitas* non competit actionum, ob defectum *ωσαυτέστας*; nec mihi

hic

(9) lib. 1. de Civit. Dei c. 17. Sc. (1)

*Diod. Sicul.* l. 2. c. 57. (x) lib. 10.

(λ) *Hist. Goth.* l. 2.

hæc quæstio est de *indirecta*, in vitam nostram licentiâ, quæ fit absque intentione eam abrumpendi, ut: cum, præclaribus studiis, defensione sui, & aliorum, quorum nobis interest conservatio, possumus, & sæpius debeamus, probabili nos vitæ exponere periculo, unde forte brevior vita, aut mors violenta nos occupat; sed de ea quæ fit *directe*, destinato consilio, ad semet interimendum, quam, ut illicitam licentiam, non esse tollerandam facile quivis, cui fungus non est pro cerebro, videre potest, cum non tantum contrarietur 1. *Juri positivo Divino*, constituenti mensuram charitatis erga proximum, amorem sui, si ergo proximum innocenter occidere non licet, multò minus se ipsum, 2. *Juri gentium & civili*, nam universalem hæctenus consensum ista licentia nondum obtinuit; sed etiam 3. *Juri Nature*, urgenti, tum *Dominium nostræ vitæ DEO esse adscribendam*, nam ut nemo sibi vitam aut dedit, aut ad momentum, sine concursu Divino, conservare potis est, sic à statione, in quâ à Creatore constitutus est, non nisi summo scelere, quisquam aufugere potest:

*tum socialitatis rationem, ad quam con-*  
*editi sumus, ut scilicet, pro virili ean-*  
*dem promovere annitatur, non nostri*  
*temeraria subtractione, sed quovis po-*  
*tius officiorum genere; quod, vel egre-*  
*giè arguit, summum illud nobis insitum*  
*nos conservandi studium, quod tantum*  
*apud nos valet, ut malum aliquod ei in-*  
*tentatum non possimus non averfari,*  
*eousque, ut depulso malo, plerumque o-*  
*dium & cupiditas vindictæ adhuc remaneat;*  
*τὸ δ' ἀποθνήσκειν φεύγοντα πέναν, ἢ ἔρω-*  
*πι, ἢ ἐν λυπηρῶν, ἐκ' ἀνδρείᾳ, ἀλλὰ μάλα*  
*λον δειλῶ. μαλακία γὰρ τὸ φεύγειν τὰ*  
*ἔπιπونا (μ); unde, occurrentibus ejus-*  
*modi malis, tutius est, nos ejus submic-*  
*tere arbitrio, qui fata mortalium dispen-*  
*fat, quam, aut ex duobus malis morali-*  
*bus unum eligere, aut contra Apostoli*  
*mandatum, facere mala, ut inde eveni-*  
*ant bona.*

## §. VI.

**C**um ergo, ex obligatione nobis injun-  
 cta, de vita nostra, non aliter quam  
 deposito, & beneficio Divino, optime ser-  
 vando, nobis disponere liceat, utique non  
 solum

(μ) *Arist. Nicom; III. 6. 11.*

solum, a pravorum injuriis, nos conserva-  
 re tenemur, non tantum *fuga*, vel *de-  
 precatione*, vel alià aliqvà *decenti hostis  
 mitigatione*, idque quantum innocentie  
 nostræ justitia permittit, vel *minis* for-  
 midinem in valori incutientibus, *sine i-  
 psius damno*, sed quoque, cum *malo in-  
 vasoris*, atque demum, omnibus aliis nos  
 tuendi remediis absentibus, *adversarii*  
 etiam *cæde*, quam sibi ipsi habeat im-  
 putandam, qui me ad talem necessitatem  
 adegit, ut sponte abjicientem, aptitudinem,  
 recipiendi pacifica mea adversus se officia,  
 omni mea curâ, in propriæ salutis defen-  
 sionem, revocatâ, sic prosternere cogar.  
 Verum etiam, per obligationem illam, eo  
 usque procedere possumus, ut ab obli-  
 gatione legum communium exempti cen-  
 seamur, ut, in incolumitatis, necessitate  
 ( nisi, *legislatoris expressum mandatum*,  
 quale militibus propositum esse solet, ne  
 stationem deserant, usque ad mortem; vel  
*negotii natura*, ut stuprum, Matri in-  
 ferendum, ad evitandam mortem, illum  
 casum legis voluerit obligationi subje-  
 ctum esse, quæ proinde, actiones non  
 sunt suscipiendæ, licet, vel mors subeunda  
 esset, propter obedientiam legis ) quales

casus esse solent, cum in naufragio, unus, tabulam occupaverit, duos simul incapaces portandi, utique alterum ad natantem, ea intentione, ut se ei injiciat, cum utriusque vitæ dispendio, vi olentiâ quâvis repellere posse, arbitratur ab E-ruditis; cui addantur exempla *Jonæ* (v), *Discipulorum Christi*, per spicas, ab alieno agro sabbatho vellicatas, famem satiantium (ξ). *Davidis* propter famem pariter, panibus vescentis propositionis (ο), contra expressum præceptum Divinum (π). Sic etiam, propter favorem necessitatis, concedunt Moralistæ, fugientibus mortem à robustiori intentatam, jus, resistentes, inhumaniter, neci dare, ubi admoniti fuerint, aut certe, notabili afficere damno, ne persecutoribus exponant vitam, ita tamen, ut quidvis aliud potius facere velint iidem.

#### §. VII.

**V**erum enimvero, ut jura, a Doctis creduntur, personis convenire, pro ratione *ubi* moralis, in quo vivunt, si-ve *statu*, ita quoque conceditur, ab iis-  
dem

(v) *Jonæ* 1. 7. (ξ) *Math.* 12: 12. & seq:  
(ο) 1. *Sam:* 21. 6. (π) *Exod:* 29. 33. *Lev.* 24. 9.

dem, jus semet defendendi, longè intentiorem admittere gradum, in eo *statu*, quo, sicuti *solis propriis viribus*, ita & proprio *judicio & arbitrio*, & sine dependentiâ ab alterius imperio, ad nostram tendimus conservationem, quam eo *statu*, in quo, *superiores agnoscimus*, in quibus jus, nos & nostra tuendi, collatum est; nam, in *illo*, alias *naturali* dicto, intellectâ saltem lædendi destinatione plenâ, sive quâ vitam, sive aliam quamcunque injuriam, urique, cum hoste præoccupato, eo usque procedere possumus, donec, aut is pœnitentiâ spontaneâ ductus, animoque nocendi deposito, cautionem præstiterit, de amplius non offendendo, aut viribus spoliatus, vel compedibus vinctus, vel plane occisus, amplius formidabilis nobis non existat, cum animum professus hostilem, licentiam putetur alteri, in se concessisse in *indefinitû*, quantum, scilicet, in ipso: in *hoc*, autem, *statu*, qui dicitur aliis *adventitus*, sive Politicus, quia, haud quidemquam, tam laxum concessum est juris spatium, tum demum pristinae libertatis censemur capaces, ad nos nostraque, quæ per Magistratum recuperare non possumus, vel cum invasoris cæde defendenda,

cum in mora, subsidium aliunde petendi, periculum versatur.

§. VIII.

Siquidem, vero, modo meminerim *status Politici*, in quo præcipuè regnant *status rerum & temporum*, utiq; non possum non commonefieri *officiorum*, quæ *ἡσυχαστικά* nostra, in eo statu, adversus nosmetipsos *absolute*, obeunda præcipit, idque ex consideratione præprimis *Analogia*, quam natura nostra fovet, vel 1. *Cum temporibus*, *an scilicet sit exigua?* ut in tota vita nostra, non nisi cum insigni cautione, & prudentiâ, minusque in publico sit versandum; quomodo *Tiberium*, ex conscientia morum suorum, cum ævo, in quo vixit, non adeo conspirantium, scenam nunquam prodiisse, nec per 12. ultimarum annorum spatium, Curiam adiisse, tradunt Historici; *an vero omnimoda?* ut majorem vivendi ingenioque utendi libertatem nobis vindicemus: sicut & contra, *Augustum*, perpetuo, in publico commemorant versatum. 2. *Cum professionibus & generibus vite*, quæ in usu pretioque sunt; quorum adeo cum genio delectum congruentem inculcant.



Moralistæ, ut, vel vitæ aliquod genus ingressum, minus naturæ inclinationi respondens, primâ occasione, novam subinde arripere conditionem, priori relicta, svadeant: nam *nihil invita dices faciesque Minerva. 3. Cum equalibus, & æmulis nostris, inq; fortuna nostra competitoribus*, ita ut, si contigerit eos esse celebriores, aut ad minimum æque celebres, ut illud eligamus vitæ genus, in quo probabile est, nos, inter cæteros, eminere posse, quemadmodum *C. Cesar*, qui primo *Orator & Causidicus* in *Togâ* versatus, videns, in rebus bellicis neminem admodum clarum, præter *Pompejum: Ciceronem*, vero, *Hortensium & Catulum*, eloquio præstantissimos, mutato consilio, transtulit se ad artes militares & imperatorias, quibus ad summum evehctus est gloriæ culmen, & rerum fastigium. 4. *Cum amicis deligendis ac necessariis*, siquidem, diversis, diversum genus amicorum convenit, aliis nempe solenne & taciturnum, aliis audax & jactabundum, quorum posterioris generis *J. Cesaris* commemorantur fuisse amici, infinitum studium erga Cæsarem præ se ferentes hoc dixerio: ita *vivente Cesare*

*moriar, cæteris omnibus contemptis & spretis, homines in negotiis gerendis impigri, fama & existimatione mediocres. §. Cum exemplis, ad quorum imitationem, nos componere possumus, non enim, quod pervium huic vel illi fuit, etiam nobis patere necesse est, cum, vel insignis poterit esse distantia inter ejus atque nostrum ingenium & mores; cujus erroris insimulari solet Pompejus, illud sæpius ingeminans: Sylla potuit, ego non potero. Cum alter (verba sunt Illust: Baronis De Verulamio (p)) ferox & violentus, factum in omnibus urgeret, alter gravis, legum memor, omniaque ad famam & Majestatem componens, minus ad perficienda, quæ cogitabat, efficax esset & validus.*

## CAP. VIII.

### §. I.

**Q**uemadmodum, vero, nihil, quod in hujus Mundi occurrit theatro, adeò videtur à convenientia abalienatum, quin in aliquo saltem cum reliquis identitatem admittat, ita nunquam adeo dissociata reperiuntur mortalium pectora, quin

(p) in *Augment: scient: lib. 8.*

quin tamen in aliquâ socialitate concurrere  
 intelligantur, tū ob similitudinem naturæ,  
 ab iisdem principiis, nec non dispositione  
 partium, petitam, tum identitatem ortus,  
 stirpis, sanguinis & obligationis communis;  
 quare, in objecto reali, ab *αὐτοϋυωσία* no-  
 stra, discussis officiis adversus nosmet i-  
 pso, succedunt officia pariter adversus  
 alios obeunda, quæ quoque *objectum ex-*  
*planant personale*, quorum etiam men-  
 sura, à notitia nostri haud incommode  
 peti debet. Sed, sicut nulla officia, nul-  
 laque socialitas, ne nostra quidem existen-  
 tia, intelligi potest absque Numine, cui  
 potestas ista primo competit obligandi,  
 propterea, non immerito, ad ista etiam pri-  
 mo provocor officia, quibus, Creatori, Con-  
 servatori & Governatori nostro Clemen-  
 tissimo, adstringimur, quæq; consistunt,  
 cum, *in rectâ ejus cognitione, sive noti-*  
*sia, tam, qua existenciam, quæ clare*  
*cognoscitur, ex subordinatione causarum,*  
 vel circa nostram existentiam, contem-  
 plationeque artificiosissimæ nostræ ma-  
 chinæ, præter alia infinita argumenta,  
 DEUM nobis manifestantia; *quam, quæ at-*  
*tributa, infinitatem, puta, tam in essentia,*  
*duratione, ubi etate, quam operatione, &*  
*sciencia*

*scientia, nec non beneficia, tam, per  
 Creationem, quam, per conservationem,  
 & gubernationem rite nobis proposita;  
 tum obedientiâ, sive actionum nostra-  
 rum, ad ipsius voluntatem, per Legem  
 Naturæ significatam, compositione & di-  
 rectione, ita ut pie conceptæ cogitatio-  
 nes, in religiosum ejus convertentur cul-  
 tum, cum, scilicet, submissa veneratione,  
 pio amore, constanti spe, reverenti timo-  
 re, humillimo obsequio, debitâ gratiarum  
 actione, pro bonis impetratis, & vene-  
 rabundâ supplicatione, pro bonis impe-  
 trandis, considerato de eo loquendi modo,  
 tum in juramentis, tum disputationibus,  
 illum, Authorem & Dominum nostrum  
 optimum ac benignissimum, recto profe-  
 cuti cultu, ad ipsius laudem & gloriam,  
 omnia cogitata, omnia dicta & facta pro  
 virili, referimus, inque molli providen-  
 tiæ ejus gremio, qui Suorum commo-  
 da optimè promovere novit, placidè ac-  
 quiescimus; quæ officia, tanto promptius  
 à nobis sunt expedienda, quanto non  
 solum majoribus, præ brutis instructi su-  
 mus dotibus, ita ut Personam, cum ma-  
 gna excellentiâ omnium reliquorum ani-  
 mantum, nobis impostam representemus:*

; sed

sed etiam, quanto difficilius ejus est resistere voluntati, qui summe est *justus*, ut delictum non ferat impunitum, summe *potens*, ut vindictæ illius non possit resisti, summe *sciens*, ut nullus sit locus, quo ad eludendam ejus poenam, confugere possimus; Quam, quidem, religionem, licet Numini sufficienter placando, non agnoscam parem, quatenus, ex solo lumine Naturæ hauritur, eandem, tamen, ex testimonio, tum *S. S.*, tum *revelationis*, firmiter credo, non tantum *validum esse vinculum*, quo genus contineatur humanum, ad honestatem & socialitatem, sed etiam certissimam *Mercurialem*, quasi, *statuam*, quæ viam monstrat, quâ eundum sit, ad inquisitionem ejus, quo, tanquam medio, ad perfectiorem divini cultus & cognitionis modum, perducamur.

## §. II.

**V**erum, uti certum est, quædam officiorum, eorum, quibus, aliis nostri similibus, sumus adstricti, certo hominum *instituto*, aut *statui adventitio*, originem debere, qualia, juxta nonnullos, esse putantur, quæ fluunt, aut ex *introducto dominio*, furtum non est faciendum; aut

*imperio civiti, Magistratui parendum: ita quædam vicissim, ad mentem eorundem, anticipative, se habere, ad omne humanum institutum, aut definitum statum, quæ, præcipuè, indigitare existimant præceptum: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; atque vicissim: quod tibi vis fieri, alteri facias.* Scilicet, observata utraque lance, & obligatione mea, adversus alium, & jure in me, salvo utrinque officio, ab altero quid postulandi; nam in eo, omnium, non tantum conventionum, pactorum & reliquorum, ad cultum humanæ vitæ necessariorum institutorum, honestas, fides & utilitas, fundatæ sunt, sed & omnia, tam *bona naturalia*, qualia, vita, corpus, membra, pudicitia, existimatio, simplex libertas, *quam civilia*, ita sunt firmata, ne auferri, corrumpi, lædi, usibus nostris, aut ex toto, aut ex parte, subtrahi, possint, quo minus in me & socialitatem peccatum committatur, & peccator, jus vicissim in se, quantum ad illum, in infinitum concedat.

§. III.

**C**æterum, sicut omnia, quæ aliquod intentare videntur nobis damnum, non  
tan-

tantum quâ res, earumque fructus, tum naturales, tum civiles, nec non jure præcipue perfectio debita, ex quibus præprimis actio in foro civili oriri solet, sed etiam quâ pretium illud, quod nobis imponimus, quodque delicatus ille, nobis insitus, nos æstimandi affectus, raro partitur in dubitationem, ne perpetuam loquar oblivionem, venire, non possumus non aversari singuli, ob illam, in nobis, naturæ identitatem, & e contrario, propter eandem convenientiam, eorum, quæ, aut absolute nobis necessaria, aut tantum utilia videntur, ad nostram, tum commoditatem, tum incolumitatem, necessario amore tangi, ita quoque indissolubili nexu, cum præcepto modo dicto:

*Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris;*  
 hæc tria sequentia præcepta deprehenduntur conjuncta, quorum 1. *Nemo lædendus*, sive immediate, sive mediate, per alios homines, animalia, aut inanimata, sive principaliter, sive minus principaliter, tum accessorie, dolose, culpose, fortuito, (quæ nomine fugienda in primis avaritia, bona aliena per fas & nefas sibi subjiciens, Homicidium, furtum, atque id genus alia, quibus proximo nostro inju-

riam facimus, siquidem, si nobis concingerent, haud æquo animo ista perferre possemus) & si aliquod damnum datum à nobis fuerit, quocumque modo, quod imputari nobis potest, prompte resarciatur: si enim læso, damnum, gratis esset devorandum, & lædens, fructu suæ injuriæ securus, & citra refusionem, gaudere posset, utique non tantum tolleretur omnis fiducia, societatis amor, atque moralitas, homines inter, sed etiam à mutuis læsionibus mortalium nunquam abstineret pravitas; obtenta, vero, plena satisfactione, sive reparatione damni, hoc nomine ex Lege Naturali vindicta, dolore reciproca lædentis, læsi, quasi, animum satians, censetur prohibita, quod ex causa supervacua, pacem inter homines abrumpat.

2. Ut omnes alios homines, pro naturaliter nobis equalibus, & æque hominibus habeamus, scientes, naturam, nulli sese tam novercantem præbuisse, ut alius naturalem libertatem, & communionem Juris Naturalis, in alienæ superbiæ exuvias decreverit, quantumvis, in distributione dorum animæ & corporis, insignem sectaverit varietatem, sine tamen licentia alios injuriis afficiendi, atque in

statu



ſtata civili, ex Imperantibus & Subditis  
 conflato, ministeria quædam & certa  
 privilegia, insignis excellentia, non ſo-  
 lum honorum, ſed & poteſtatis, comi-  
 tetur, qualis olim ante introductas civi-  
 tates Patribus familias competebar, &  
 etiam hodie, licet cum limitatione & dimi-  
 nutione relicta, nec non iis, inter cives, tri-  
 buitur, qui, aut particulam imperii exercent,  
 aut Summi Imperantis ſpeciali gaudent pri-  
 vilegio, cum, non tantum ex æquo omni-  
 bus competat hominibus natura humana,  
 ſed &, ad colendam honeſtatem, ac con-  
 ſequenter ſocialem vitam, æqualiter omnes  
 adſtringantur homines, ita ut, quæ nos,  
 ſingulariter ſpectati, poſtulare, aut expe-  
 ctare poſſumus, eadem alii, quoque, cæteris  
 paribus, a nobis poſſunt, & quod ju-  
 ris in alium ſtatuimus, eo nos uti maxi-  
 me convenit. Quare, cuivis, vero ſui æ-  
 ſtimatori, haudquidquam cenſetur indi-  
 gna, ut modèſta, conditionis atque  
 fortis ſuæ attentio, ita quoque ho-  
 neſta humilitas, orta ex reflexione ad  
 miſeriam & errores, quibus, vita hu-  
 mana, ex æquo ferè, obnoxia eſt, ita ut,  
*nihil unquam ſatis cautum ſit in ho-*  
*ram.* Unde, limpidiſſimo quaſi rivo, fluunt.

præcepta: (  $\alpha$  ) scilicet, *peculiaris haud quidquam juris nobis esse asserendum, ex rebus in medio positis, sine peculiari jure quaesito, sed omnibus eadem permitienda, quæ nobis, adeo ut, quæcumque ab aliis expetimus, illa quoque iisdem præstemus;* etenim, nescio, cujus non factus nomine veniat, postulatio perpetua opis alienæ, nobis proficiuæ, sine, tamen, dispensatione reciproci ministerii, in illorum commoda & usus rite promovendos, tum enim, utique illos, nobis inæquales ducendo, ad abrumpendam pacem, occasionem præbemus. (  $\beta$  ) *in distributione juris inter æquales, neutri quid præter merita causa esse indulgendum;* si enim secus fit, tum utique posthabitus, contumelia, simul, & injuriâ afficitur, debito denegato, & dignatione, à natura, sibi datâ, detractâ. Unde, contra hoc officium peccasse censemur simul, *per injuriam, superbiam, & contemptum:* per illud, cum omnibus nobis assignatis, alteri communis juris fruitio denegatur; per istud, cum nullâ, aut, certe, minus sufficienti de causa, aliis nos præferimus; per hoc, cum eosdem, velut inæquales, præ nobis, despectos, sæpe quoque signis externis, fa-

ctis,

etis, puta, verbis, vultu, risu, ac quacun-  
 que contumelia afficimus, quo ipso,  
 non potest non pax & socialitas turbari.  
*g. Aliorum commoda, quantum in nobis, esse  
 promovenda; enimvero, cum, ad socialita-  
 tem, satis non sit, justam odii causam re-  
 movisse, quin, per bonum aliquod invi-  
 cem communicatum, arctiori adhuc vin-  
 culo, pectora constringantur mortalium,  
 utique, aliorum usui consulere debemus,  
 non tantum indefinite, per solertiam, sci-  
 licet, ingenii inveniendō eā, quæ ad cul-  
 tum humanum facere videntur, sed & de-  
 finite magis, indultu nempe eorum, qui-  
 bus promoventur aliorum necessitates,  
 idque, non unice, in rebus innoxie utili-  
 tatis, ( quales demonstratio viæ erranti,  
 ministratio fidelis consilii deliberanti,  
 quorum, veteres Romanos adeo observantes  
 fuisse, testatur Plutarch: ( σ ), ut, postquam  
 saturati essent, semper aliquid in mensa  
 reliquerint, nec lampades extinxerint, in  
 condocefactionem humanitatis; quorum  
 denegatio, licet non veniat nomine inju-  
 stitiæ, cum ex obligatione perfecta, ista  
 non profiscantur officia, tamen dete-  
 standæ inhumanitatis, quæ, nonnullis cre-  
 ditur, in casu summæ necessitatis, in o-  
 ( σ ) Sympos. l. 7. q. 4. bli.*

obligationem transire perfectam, cum, scilicet, officium postulanti, id, sine cujus consecutione interiret, ex inani diffidentia, aut animi malignitate denegatur; ) verum etiam in iis, quæ sunt cum impensa, aut opera nostrâ laboriosâ, sine tamen insigni nostro damno, quæ humanitatis officia, per excellentiam, nomine *beneficiorum* veniunt, quæ, prudentiâ, rite temperata, uberrima existunt gloriæ & favoris comparandi instrumenta ( unde quoque fluunt *Liberalitas* & *Magnificentia* ) cum in accipiente, *Gratitudo*, declarans complacentiam suam, in benevolentiam sibi præstitam, indeque ortum favorem, ita ut occasione oblatam, pariam, aut quantum fieri potest, reponat. semper reciprocè requiratur tanto magis, quanto nomen *ingratitude* scilicet censetur, tanquam proveniens ex animo valde abjecto, indignum semet declarante eo iudicio, quod alter de ejus probitate tulit, ac ne beneficiis quidem, quæ etiam bruta demulcent, moveri posse, ad humanitatis concipiendum sensum: sicut erudite pro solito more loquitur sapius cum honore nominatus Dn. Puf. ( 1 )

§ III.

( 1 ) in *Juo Off. Hom; & Civ. l. 1. c. 3.*

Inter officia autē *hypothetica*, sive quæ, ex mente quorundā, supponunt, aut *institutū humanū*, aut *statū adventitiū*, & ad quæ, sit transit, per *pacta intermedia*, quorū regula: *Fides data est servanda*. (Requirebat enim, socialitas, ulteriorem inter homines conventionem, cum, ex sola lege humanitatis, omnia officia ad eam facientia, semper tuto nobis polliceri non potuimus, vel ob ingeniorum inter nos pravitatem, vel ob insignē alterius detrimentum, resultans, ex tali, actionis suæ, in nostrum usum, dispensatione, sine æquipollenti satisfactione, vel propter nostram modestiam, alterius operam gratis exigere nolentem) inter illa, inquam, officia, quorum ratio & munimentum, ab *Αὐτογνωσία* peti debet, est

X. *Ne in sermone, aut aliis signis ad exprimenda animi sensa ordinatis, quæquam, cui jus, aut perfectum, aut imperfectum competit, decipiamus*, cum sermo, nobis, à Creatore, in veritatis manifestationem, datus sit; unde facile patet, in quo consistat veritatis, puta moralis, cardo, quam sæpius sectamur tantopere, scilicet, in congruentiâ verborum, aut signorum, cum interioribus mentis conceptibus, commode cogitata

nostra representante, alteri, cui *ius*, eadem cognoscendi competit, & ad quae expandenda, *obligatio* nos stringit, *sive imperfecta, sive perfecta*, ut, ex manifestatis animi cogitatis, ejus commoda promoveantur, nec sententiã nostri animi à sermone diversa, si sic apud nos esse contigerit, proximus detrimento injuste puniatur; quare, ad id, quilibet, in foro humano, obligari censetur, quod signa expressa suggerunt rite interpretata 2. Propter introductum dominium, nos debere permittere, quemque, de rebus suis, quarum est dominus, pro arbitrio disporre, & ab iis nos abstinere, aut vi eripiendis, aut illicite concupiscendis, nisi in eas, singulare jus, per pacta, qua siverimus. 3. In statu conjugali, conjuges inter se, tantam prestare mutuam concordiam, amorem, & adjutorium, quantum indoles tam arctae conjunctionis, & salus domus requirunt, atque si liberis fuerint dotati. 4. Illis commodam educationem, dextram informationem, & sufficientem, pro re nata, in fortuna, promotionem praeberere. contra quã, 5. Liberorum est debitum, parentes honorare, & iusta reverentia, tam

interna, quam externa, obedientiaque, & debito adjumento, in eorum lenio aut egestate, nec non filiali patientia, in eorum vitiis, aut morositate. In statu Herili, 6. Domini est, *servum ita tractare, ut hominem, non ut bestiam, aut alias res; contra quod, 7. Servi debent, diligentiam assiduam, fidelitatem justam, atque observantiam honestam, dominis suis, adeo ut nec servitutem, invito domino, iisdem fugere liceat.* In statu vero Civili, 8. Imperantibus, *Salus Reipublica summa lex esto.* Et 9. Civium debitum, *Receptoribus civitatis Reverentiam, fidelitatem, & obsequium prestare, Reipublica salute & incolumitate nihil habere carius, erga concives, commodum sese praebeo atque facilem, pacifice & amice cum singulis vivere.* De quibus, cum, abs subactiori ingenio praedictis, non paucis, Dissertationis filum, non minus utile, quam jucundum, sit productum, mea jam brevitatis, ulteriorem mihi differendi potentiam, ne ultra metas exerceat labor huius, dirumpit, cum semper ingeminanda

GLORIA, DEO, IN ALTISSIMIS

RV. 01.53  
In Dissertationem Eruditam

De Ἀὐθυσία,

Ingenio, assiduæque Musarum cultura com-  
mendatissimi Juuenis,

DN. GUSTAVI BRODZENII,  
Amici Integerrimi.

**P**andere dum tentas, valeat quid γυνῆς  
σευδῆ?

Cognitus es Musis, nomina nota manent.  
Te quoque post tempus bene noscet iurba no-  
vena

Pindi, cū frontem laurea bacca premet.

GUSTAVUS Goldenholze.

---

Eruditione non minus quam sinceri-  
tate Eximio.

DN. GUSTAVO BRODZENIO,

Discursum suum de VERA NOTITIA SUI  
egregiè defendenti.

**C**edere cura tibi est monumenta peren-  
nia famæ,

Dum tenero vernum floret in ore decus.  
Maeste igitur fervore tuo, vigor utilis annis  
Spem facit, in cassū non fore tanta bona.  
Laurus ut exulto crescit genialis in horto,  
Et semper viridi frondet amicta coma:  
Sic tibi succrescent famæ potioris honores,  
Gloria cum genii fiet adulta tui.

SIGERIDUS BRUMERUS.